



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titvlvs XXXVII. De Pœnis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

sum merè, hoc est, tam Juridicè quàm Theologicè fortuitum: præstandi obligatio in Conscientia etiam post sententiam non detur; quòd hæc injusta & lata sit contra leges. Aliter tamen sentiendum est de damno, quod datum est casu fortuito merè Theologicò; cùm enim hoc datum sit culpà saltem Juridicà, sententia ad ejus refusionem condemnaas conformis legibus & justa est.

Neque etiam; quòd dictæ leges vindicent damnum datum *Injurià*; quia injuria datum secundùm eas est, quod levi & levissima culpa solum Juridica est illatum, ut colligitur ex *l. Sed etsi 5. §. 1. ff. ad L. Aquil. quò Injurià datum, dicitur, datum etiam ab eo, qui nocere noluit.*

Ex hætenus deductis pro foro animæ seu Conscientiæ interno inferuntur duo. Primò quidem, refusionem damni culpà solum Juridicà dati, sicut præstandi obligatio non incumbit ei, cujus culpa damnum evenit, sic ei, qui hoc passus est, eam accipiendi vel occulta compensatione utendi jus non competere ante sententiam, ut colligitur ex *l. Legi 2. C. de L. Aquil. quâ refarcitionem damni, qui hoc passus est, consequi debere asseritur Competentis judicis autoritate.* Secundò, contrà ei, qui damnum suà ejusmodi culpà datum judiciali autoritate compulsus reparavit, illicitam esse occultam ejus, quod in reparationem solvit, repetitionem vel compensationem. 35. 36.



## TITVLVS XXXVII.

### De Pœnis.

**S**uper sunt Delictorum Pœnæ: quarum quædam in externo sive Judiciali, aliæ in Pœnitentiali sive interno foro imponuntur. Posteriores proximè sequenti: priores, si vindicativæ præsentis, si Medicinales sint, *Tit. 39.* exequitur Compilatio, quam sequimur, Gregoriana.

#### ARTICVLVS I.

#### De Pœnis Vindicativis in genere.

#### SUMMARIUM.

1. *Definitio pœnæ Vindicativæ.*
2. *Qualis non est Censura:*

3. *Neque etiã pœna, apposta contractui:*
4. *Quam totam debet contractum ex toto:*
5. *Imò etiam ex parte non implens:*
6. *Qua in re Canonicum à Civili Jure non divertit.*
7. *Pœna Vindicativa Capitales vel non Capitales:*
8. *Ordinaria vel Arbitraria:*
9. *Positiva vel Negativa sunt.*
10. *Reo, de crimine convicto, pœnam arbitrariam supremam:*
11. *Non etiam inferior judex imponere potest.*
12. *Nonnullis casibus exceptis.*
13. *Ante omnem sententiam aliquando Censura,*

14. *Irre-*

14. Irregularitates & inhabilitates contrahuntur.
15. Sententiam de factis semper exigunt pœna positiva:
16. Non semper negativa, privantes jure non plene quasi:
17. Neque etiam privatio debiti conjugalit ob incestum.
18. Cetera pœna, jure plene quasi adimittentes, exigunt sententiam.
19. Saltem criminis declaratoriam:
20. Licet, eas ipso jure & ante sententiam incurri, asseratur.

1. Pœna in genere est *Lasio*, quæ vindicatur, quod quicquid commisit, inquit S. Augustinus, *can. Pœnitentia* 4. §. *Pœna*, de *Pœnit. dist.* 3. relatus; vel, ut eam ex Cujacio definit *Zacchus Cornent. in ff. hac Rubr. n. 1.* est Delictorum seu criminum coercitio, inducta ad disciplinam publicam emendationem. Ex qua definitione
2. Patet primò, hujusmodi & propriè dictas pœnas non esse Excommunicationem & reliquas Censuras; cum Medicinales sint, *c. 1. de Sent. excom. in 6. &* delinquente correcto, relaxandæ, *c. Ex literis* 11. de *Constitut.* & *c. Qua fronte* 25. de *Appellat.* Qua de re infra *Tit. 39. à n. 12.*
3. Patet secundò, hujusmodi pœnas etiam non esse, quæ sunt merè Civiles; cum non publicæ disciplinæ emendationem, sed privatam satisfactionem spectent: sive eæ Legales aut Judiciales, hoc est, à lege vel iudice ad illati damni vel injuriæ reparationem impositæ: sive Conventionales, hoc est, mutuo contrahentium consensu contractui appositæ sint; ut is firmius observetur. Cujusmodi pœna, si contractui contravenerit contrahentium uterque, à neutro solvitur, *c. Constitutus* 7. cum paria delicta

quoad pœnam privatam mutua compensatione tollantur, *c. fin. de Adult. & l. Si ambo* 10. ff. de *Compensat.* Si verò illi contraveniat tantum unus, ab ipso pœnam exigi posse, patet ex *c. Dilecti* 4. de *Arbitr. & l. Pacto* 14. C. de *Pactis.*

An autem sicut, si quoad omnia, sic etiam, si quoad partem solum aliquam contractus non observetur, v.g. si ad mille constituto die solvendo sub pœna quinquaginta aureorum ex conventionem obligatus, diei illius termino adveniente, solummodo quingenta solvat, non ad integram quinquaginta, sed ad viginti quinque duntaxat aureorum pœnam obligetur, dubium & inter Interpp. controversum reddit decisio Innocentii III. *c. Suam* 9. Episcopo integram petenti silentium imponens: cujus æquitate rigorem legum Civilium, illò etiam casu totam, hoc est, quinquaginta aureorum pœnam exigi permittentium, *l. Siquidem* 5. §. *fin. l. In executione* 85. §. 6. ff. de *V. O.* correctum; ac proinde de Jure Canonico solvendam tantum partem, debiti quantitati, non solutæ respondentem, *in c. cit.* cum Glossa *V. Per solutis*, volunt Innocent. Panormit. *n. 6.* & Berouius *in c. Dilecti cit. n. 82.*

Hic tamen *c. cit.* intellectus, licet primò occurru non displiceat, minus expeditus est; quia imprimis Civili Jure inducta totius pœnæ commissio injustitiam & peccatum non continet; atque idcirco correctionem Apostolicam, saltem extra territorium Ecclesiæ Romanæ temporale & in foro Sæculari observandam, non admittit. Deinde; quia Papa ne verbò quidem meminit ullius correctionis Juris Civilis, aut improbat ejus dispositionem, ut probè advertit Cabedo *Divers. Jur. arg. Lib. 2. cap. 18. à n. 11.* sed respondet ad consultationem; ac proinde de Jure, secundum doctrinam Glossæ *fin. c.*

*Consultationi 16. de Temp. Ordinat. & Navatri in c. Accepta 3. de Restitut. Spo-  
liat. opposit. 1. n. 2. Demum; quia i-  
dem, dum Episcopum contentum esse  
jubet septem librarum solutione, apertè  
ei silentium imponit non tantum super  
pœna tota: sed super parte etiam quan-  
titati non solutæ respondente, minimè  
obscurò argumentò, eam neque ex par-  
te committi: vel sicut apposita est, com-  
mitti in totum, ut in c. Suam cit. no-  
tat Barbosa n. 10.*

6. Quare ad Innocentii mentem pro-  
pius accessisse videntur Sarmiento *Lib. 5.  
Select. cap. 6. n. 11. Zæsius in l. Stipula-  
tionum 5. §. fin. ff. de V. O. n. 5. Fachineus  
Controvers. Lib. 10. cap. 62. & cit. Bar-  
bosa n. 13. qui propositò textu ab Inno-  
centio rejici negant pœnam conventiona-  
lem, secundum leges moderatâ, quæ si in-  
dividua est, eò de quo inter partes con-  
veniat, ex parte solum præstitò vel ex-  
hibitò, tota solvatur: sed solummodo  
in Clericis, & præsertim Episcopis, re-  
probari volunt pœnam, quæ, ut respec-  
tù quadraginta debitorum triginta sunt,  
valde immoderata & excessiva est; quòd  
ista ipsis etiam legibus Civilibus rejicia-  
tur, l. *Pœnam 44 ff. §. 1. Cùm allegas  
15. C. de Usuris. Uti & eam, quæ præ-  
standa est, etiam minimâ parte, ut se-  
ptem respectù quadraginta sunt, non so-  
lutâ; quòd Ecclesia, quæ Justitiæ altrix  
& mater Æquitatis est, eam minùs con-  
venire judicet modestiæ ac decentiæ sta-  
tùs Clericalis, & vel maximè Episcopa-  
lis; cùm enim Episcopus perfectionis ex-  
emplar & magister sit, non solum ab in-  
justitiæ avaritiæque crimine, sed ab ejus  
etiam specie debet abhorrere, *can. Glo-  
ria 71. pr. 12. q. 2. §. c. Cùm ab omni 10.  
de Vita & honest. meritòque in eo talis  
exactio, licet aliàs injusta non sit, tan-  
quam inhonestâ, hoc est, minùs decens***

non toleratur, c. *Suam cit. & eam, Epì-  
scopus, 14. q. 1. Gonzalez in c. Suam cit.  
n. 1. in fine.*

7. Porro propriè dictæ seu Vindicati-  
væ pœnæ pro varietate delictorum variæ:  
& imprimis quidem aliæ sunt Capitales,  
quibus mors eaque vel naturalis gladiò,  
laqueò, igne & rotâ &c. vel Civilis, me-  
diâ aut maximâ capitis diminutione, liber-  
tatem aut jus Civitatis adimendò, in-  
fertur: aliæ verò non-Capitales: eaque  
vel Pecuniariæ, quibus multa, non parti,  
sed fisco applicanda imponitur: vel  
Corporales, quibus aliquando per incarce-  
rationem, abstinentiam, in Monasterium  
detractionem, relegationem, verberationem,  
imò & truncationem membri,  
vg. aurium, narium, manùs, corpus as-  
fligitur, aliquando per dignitatis aut pub-  
licæ exiliminationis ademptionem dimi-  
nuitur status, aut infamia irrogatur: vel  
Spirituales, quibus delinquens officio spi-  
rituali vel ipsius aut SS. Ordinum usu at-  
que exercitio, perpetuò vel ad certum  
tempus privatur, ad eâve obtinenda in-  
habilis redditur: ut vg. sunt Degradatio,  
Depositio, & aliquando suspensio,  
privatio SS. Sacramenti Eucharistiæ, se-  
pulturæ, beneficii Ecclesiastici &c. Tho-  
lolanus *Partit. Jur. Canon. Lib. 4. Tit.  
16. cap. 1. Zæsius in ff. hâc Rubr. n. 2.  
& 6. & Vallenl. ibidem §. 1. n. 5.*

8. Secundò aliæ sunt Legales & Cano-  
nicæ sive Ordinariæ, hoc est, à Lege vel  
Canone, iisve æquivalente Consuetudi-  
ne præscriptæ vel receptæ: & aliquando  
quidem infligæ ab ipso Jure, hoc est,  
Lege vel Canone; ut ipsò factò, quò  
crimen perpetratur, etiam ipsæ ante ju-  
dicis sententiam, saltem condemnato-  
riam, contrahantur: aliquando verò per  
sententiam judicis, ad eam secundum le-  
gum aut sacrorum Canonum præscriptum aut  
receptam Consuetudinem condemnantis,  
imponun-

imponuntur. Aliæ arbitraræ sive extraordinariæ, quæ nullâ Lege vel Canone aut Consuetudine sunt definitæ: sed iudicis, personarum qualitatem & delictorum circumstantias ponderantis, arbitriõ imponuntur, Tiraquell. in l. Si unquam §. V. Revertatur. C. de Revocand. donat. n. 5. & Suarez de LL. Lib. 5. cap. 7. n. 1.

9. Tertiõ, aliæ Positivæ, ad sui executionem exigentes aliquam sive ipsius delinquentis sive alterius cuiuspiam actionem, vg, verberationem, solutionem; aliæ Negativæ sive privativæ, in negatione vel amissione, vg, beneficii, officii, usûs Ordinis, fructuum consistentes, Palao Tract. 3. disp. 2. p. 1. n. 1. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 3. His præmissis

10. Duplex & utrumque magni in Praxi momenti dubium occurrit. Primum, an reo de crimine legitimè convicto necessariõ infligenda pœna ordinaria, vel istius loco decerni arbitraria possit. Non quidem à iudice supremo sive Principe; hic enim, cum legibus humanis superior sit, l. Princeps 31. ff. de LL. easque, utpote à sua voluntate pendentes, relaxare valeat, cur ordinariæ, secundum leges infligendæ, arbitriam sufficere nequeat, non apparet. Quantumvis autem hoc ita sit, à Iustitiæ tamen tramite etiam ipse non ita facilè recedet, si, specialibus circumstantiis aliud non poscentibus, pœnas fontibus decernere assuefecat, non arbitrio suõ, sed definitis legibus: quæ, quõ ipse flecti potest, finitro affectu non moventur, & paria promeritis pariter indulgent aut irascuntur.

11. Sed ab inferiore: de quo loqui videtur S. Augustinus Epist. 158. ubi Soleo, inquit, audire in potestate esse iudicis. molliore sententiam & mitius vindicare, quàm leges jubent. Et profectõ, si ordinariã mitiorem pœnam sufficere non posset, quã ratione pro reo & ad pœnæ remissio-

nem vel mitigationem potest interpellari?

Nihilominus, ab isto iudice reis, de crimine legitimè convictis per se ordinariam pœnam infligendam, communis DD. sensus & ratio est; quõ inferior potestas immutare & corrigere nequeat legem superioris, c. Cum inferior 16. de Majorit. & iudici non liceat judicare de legibus: sed secundum ipsas, can. In istis 3. dist. 4. quæ, ut inter culpam & pœnam esset æqualitas, illam delictis commensurârunt. Unde iudex, si pœnã legali graviorem decerneret, injuriam faceret reo, plus ab ipso, quàm secundum leges debet, exigendõ: si verõ mitiorem infligeret, peccaret in Rempublicam, regulariter solius facti quæstionem ei committentem, & pœnæ definitionem reservantem authoritati legis, l. Ordine 15. pr. ff. ad Municipal. quã iudex clementior esse non debet, Novell. 82. cap. 10. Accedit; quõ leges, quibus pœnæ decernuntur, ferè dirigantur ad iudices, & conceptæ sint verbis imperativis, inducentibus obligationem, præscriptas pœnas non tantum subeundi reo, sed iudici etiam, quem potissimum instrunt, infligendi. Ne huic doctrinæ opposita ratio urgeret, dixi, Per se; quia per accidens aliquando, non legalis, sed mitior pœna infligitur à iudice: nec solum Ecclesiastico, qui, quia sententiam sanguinis ferre non potest, c. Sententiam 9. Ne cleric. vel Monach. legibus constitutam mortis aut mutilationis pœnam in mitiorem commutare: aut, si gravitas criminis hanc non admittat, reum degradatum tradere debet curiæ Seculari, c. In Archiepiscopatu 4. de Raptoribus: sed etiam à Seculari, qui propter circumstantias qualitatis personæ delinquentis & actûs peccaminosi, ob vehementiam passionis, doloris, vel ebrietatem &c. minùs delibe-

12.

deliberati, & gravitatem criminis minuentes, vel imbecillitatis, infirmitatis, paupertatis &c. sensum pœnæ augentes pœnam legalem mitigare: imò, si circumstantiæ crimen multum aggravent, aliquando exasperare potest, *Zoëlius in ff. n. 11.* & *Engel ad hanc Rubr. n. 4.*

Simili modo extraordinaria pœna imponi reo potest, quando crimen in iudicium deductum est per viam Inquisitionis, *c. Inquisitionis 21. de Accusat. ut, ibi dictum n. 98.* uti & propter numerum delinquentium; cum enim multi delinquant, aliquid detrahendum est severitati, *can. Ut constitueretur, 22. dist. 50. & can. Ordinationes 3. in fine, 9. q. 1.* Nisi multitudo in scelere suo contumaciter perseveraret, aut crimen valde esset enorme; hoc enim casu in totum plecti & deleri potest.

13 Alterum dubium est de pœnis ipsò jure latis, an ante omnem iudicis sententiam sint subeundæ. *Q*uia in re inter DD. satis convenit Primò, ita contrahi Censuras; ut, qui delictum, cui excommunicatio, suspensio vel interdictum ipsò jure inflictum est, commisit, communione fidelium, administratione beneficij vel officij, Divinorum participatione statim debeat abstinere, ut ex *can. Si quis suadente 17. q. 4. & 1010 Tit. de Sent. excom. colligitur, Suarez & Salas de LL. ille Lib. 5. cap. 5. n. 5. iste Disp. 15. f. 2. n. 29.*

14 Convenit inter eos secundò, à jure inductas, & ante omnem sententiam observandas varias irregularitates & inhabilitates ad suscipiendos vel exercendos sacros Ordines, beneficia Ecclesiastica obtinenda, suffragium in electione ferendum, impedimenta & nullitates matrimoniorum, electionum, collationum, *cit. Suarez cap. 9. à n. 2. & Laiman. Lib. 3. tract. 4. cap. 15. n. 5.*

Convenit inter plerosque tertio, ad alias etiam & propriè dictas pœnas, tam positivas quàm privativas, si moderatæ sint, ante omnem sententiam subeundas obligare Legislatores potuisse; quia eorum executio à reo faciendi rationabiliter potuisset sperari: nisi mortis, mutilationis, exilij vel alia gravis pœna legibus decreta esset, *Castro de Lege Pœnali Lib. 1. Tract. 4. cap. 15. contra Sotum Lib. 1. de Just. q. 6. art. 6. conclus. 1. generaliter, & contra Cajetanum 2. 2. q. 6. art. 3. cum nonnullis aliis dissentientem quoad pœnas positivas.*

An autem, & quæ de facto ita latæ sint, ut constet, multum conferret distinctio inter pœnas. Nam primò, utroque jure lata non extat ulla pœna positiva, ad quam in se exequendam reus ante omnem iudicis sententiam obligetur, *testibus cit. Suarez cap. 7. n. 6. & Salas f. 3. n. 49.*

16 Secundò, de facto variis delictis annexæ sunt pœnæ negativæ, delinquentem ita privantes jure primò quærendò, aut nondum plenè & absolutè quæsitò; sic enim recipiens beneficium parochiale, si intra annum suâ culpâ non ordinetur sacerdos: & Episcopus, si intra sex menses à die confirmationis obtentæ non consecratur, Parochiam & Episcopatum ipsò jure amittunt & dimittere tenentur, ut de illa *c. Licet Canon. 14. de Elect. in 6. de isto Trident. Sess. 23. cap. 2. de Res. habetur, sic, qui horas Canonicas non recitant, fructus non faciunt suos, & pro rato temporis dimittere tenentur, ex *Motu proprio Pii V. qui incipit Ex proximo 12. Calend. Octob. 1571. edito & relato à Navarro Manual. cap. 25. n. 122. & Palao Tract. 3. disp. 5. p. 2. n. 7.**

17 Tertio, de facto, qui carnaliter cognovit consanguineam suæ uxoris, in pœnam delicti ante omnem sententiam privatur

vatur plene quaesito iure exigendi ab ista debitorum conjugale, c. *Transmissa* 4. de *eo, qui cognovit* &c. ut ibi dictum n. 4.

18. Quarto, praeter censuras, irregularitates & haec incestuosi conjugis, probabiliter nulla poena, à Jure infligenda, delinquentem jure plene quaesito, hodie sic privat; ut ille hoc dimittere ante omnem sententiam teneatur. Ita ex communi aliorum sententia cit. Covarruvias cap. 6. §. 8. n. 8. & 10. *Castro de Hæreticor. punir. Lib. 2. cap. 9.* & Lessius *Lib. 2. de l. & l. cap. 29. à n. 63.* partim; quod in poenis benignior interpretatio facienda sit, *Reg. in poenis* 49. in 6. partim verò; quod, licet de aliis quibusdam poenis asseratur, eas ante omnem etiam declaratoriam sententiam incurri, usus tamen & consuetudo obtinuerit, ut ad earum executionem & privationis plenarium effectum sententia, saltem criminis declaratoria, requiratur, arg. c. *Cum secundum* 19. de *Hæret. in 6.* ex cujus dispositione hæreticorum bona, quibus à die commissi criminis ipso jure privantur, ante talem sententiam filco tradi non debent, neque ab isto possunt occupari. Barbosa in c. cit. n. 6. & 8. in rem præsentem plures & magni nominis DD. allegans. Unde

Inferitur, Canonicum, qui propter officium Ecclesiæ suæ Prælatum vel alium ejusdem beneficiatum, c. *In quibusdam* 12. *V. Sacri* & alium clericum, qui ob S. R. E. Cardinalis percussione beneficiis suis ipso jure privatus est, c. *Felici* 5. in 6. & verisimilius etiam clericum, qui propter commissum crimen Assassinii beneficium & officium, c. 1. *de Homicid. in 6.* & Prælatum, qui ob male factam rerum Ecclesiasticarum alienationem, *Extravag. Ambitiosa inter com. de Reb. Eccles. alien.* 19. vel aliud delictum Prælatuæ suæ dignitatem, ipso jure amiserunt, eorum pos-

sessionem retinere posse, donec ejusmodi delictorum rei per sententiam declarentur, per tradita à Suarez de *Simonia* cap. 43. n. 13. in fine, & Barbosa in c. *Cum secundum* cit. n. 8.

Neque adversatur, quod c. 1. cit. Assassinus beneficium ita, ut *Liberè alii possit conferri*, & cit. *Extravag. dignitatem suam Prælatus amittere dicatur Absque alia declaratione*; quia priori textu assassini beneficia conferri posse dicuntur, *Postquam* de crimine *probabilibus confiterit argumentis*; ex quibus verbis liberæ eorum collationi, aut saltem possessionis ablationi, & in alium translationi notitiam publicam præmittendam, cum Sylvestro *V. Assassinus in fine*; posteriori verò in tanto rigore usu non receptum, cum Navarro cit. cap. 27. n. 15. observant Suarez cit. *Lib. 5. cap. 8. n. 14. & 15.* Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 53. à n. 5.* & Salas de *LL. Disp. 15. à n. 46.*

Notatur etiam in rem præsentem digna est doctrina cit. Palao p. 2. ex communi DD. sensu verba legum & canonum, privationis v. g. officii, aut beneficii poenam *Ipsò jure & Ante sententiam etiam declaratoriam* infligentium, ita accipientis; ut prioribus poenam ante omnem sententiam condemnatoriam, quæ ea infligatur, incurri; posterioribus verò, eam ante omnem sententiam declaratoriam poenæ, à jure statuta: non autem ante omnem declarationem criminis admissi contrahi, significetur, n. 8. & 13. Atque hoc modò explicata ejusmodi Jurium verba non redduntur otiosa; cum eorum vi officio ac beneficio privatus post sententiam criminis declaratoriam omnes, à die commissi criminis perceptos, fructus restituere teneatur: & ipsum beneficium validè permutare, aut in favorem resignare, amplius non possit, juxta dicta *Lib. 3. Tit. 3. n. 31.*

B b b

ARTI-

## ARTICULUS II.

De Pœnis Ecclesiæ  
Temporalibus.

## SUMMARIUM.

21. *Vindicativa pena sunt I. Pecuniaria:*
22. *Quas iudex etiam Ecclesiasticus imponere:*
23. *Non tamen sibi applicare potest:*
24. *Nisi ipse sit pauper.*
25. *II. Verberatio.*
26. *III. Tortura: cui etiam clerici, sed rariùs subiiciuntur.*
27. *IV. Exilium, seu relegatio extra diœcesim.*
28. *V. Detrusio in arctum Monasterium.*
29. *Cui trirremium & alia pena succedunt.*
30. *VI. Carcer: qui aliquando solius custodia,*
31. *Aliquando pena causâ, & perpetuus adhibetur.*
32. *VII. Ergastulum.*
33. *VIII. Confiscatio bonorum: qua sicut partim Ecclesiastico, partim Seculari cedunt.*

21. **D**E Vindicativis, ut initiò monui, & iis solummodò Pœnis hic sermo erit, quæ proditæ Jure Ecclesiastico, aut hujusmodi tribunalium praxi magis sunt receptæ: cujusmodi sunt

Primò Pecuniariæ: quæ, an ab Episcopis & aliis iudicibus Ecclesiasticis infligi valeant, dubium oritur ex *c. Irrafragabili* 13. §. *fin. de Offic. Ordin. c. Ut clericorum* 17. *de Vita & honest. & c. Licet* 3. *hic*, quibus textibus ejusmodi pœnarum exactio prohibetur ex ratione;

ne in pœnis irrogandis turpem quaestum confectari videantur: atque, ut Isidorus ait, citò violetur Justitia; cum nullam reus pertimescat culpam, quam numeris redimi posse, credit, *can. Pauper*, 11. q. 3.

Sed ista non obstant, quò minus tales etiam pœnæ clericis: & si crimina Ecclesiastici aut Mixti fori sit, etiam laicis Episcopus, istius Vicarius Generalis & similes Ecclesiastici iudices infligant. Hoc certè cum Panormit. *in c. Licet* 3. n. 8. Covarruvia *Lib. 2. Var. cap. 9. n. 8. Claro* §. *fin. q. 8. n. 5. & VV. aliis defendunt Barbosa in c. Licet* cit. n. 2. Fagn. *ibid. n. 97. Farinac. Prax. Criminal. q. 19. n. 51. Felicianus Oliva p. 2. de Foro Ecclesi. q. 9. n. 1. & alii RR. Interpp. ac DD. id defuissent ex can. Statuimus*, 16. q. 1. *can. Si vos*, 23. q. 5. *c. Dilectus* 18. *de Offic. Ordin. c. Postulasti* 14. *de Judicis c. In Archiepiscopatu* 4. *de Raptorib. & praxi ubique recepta. Imò pecuniariam aliquando præ aliis pœnis infligendam, suadet ratio; quòd à delinquentibus sæpe magis, quàm aliæ, timeatur.*

Neque hujusmodi pœnæ locus tantum est iis casibus, quibus ea Jure vel statutò Synodali decreta, aut legitime præscriptâ Curia praxi recepta: sed etiam, cum pœnæ definitio arbitrio iudicis permittitur, *arg. c. Cum causa* 4. *de Offic. deleg. cit.* Fagnanus n. 11. & 12. & Oliva n. 2.

Contra eas allata non admodum urgent in pœnis pecuniariis, quas Ecclesiastici iudices non causâ correctionis, & ex Charitatis vel Justitiæ zelo: sed in iis tantum, quas ex avaritia & lucri cupiditate, non piis applicandas usibus, sed burfæ suæ inferendas, aut judiciariò Ordine non observatò, imponunt, ut *in c. Licet* cit. notant Panormit. n. 5. & Barbosa n. 2. Sed hinc ulterius

Dubium



23. Dubium & magnæ in praxi considerationis quæstio nascitur, an ergo Episcopus vel alius iudex Ecclesiasticus ejusmodi poenas sibi applicare non possit. In qua frequentissimò DD. calculò quondam recepta fuit distinctio *cit.* Covarruvia n. 9. poenæ quidem pecuniariæ, lege, statuto vel consuetudine definitæ, in propriis ipsius usus conversionem permittentis: nisi eam alteri præfertim certæ causæ piæ applicari ejusmodi statuto sancitum, aut usu receptum; vel ea pro damni aut injuriæ resarcitione hanc aut illud passis sit applicanda: quas limitationes rectè addit *cit.* Oliva n. 13, & 17. eam verò, quæ arbitriò iudicis imponitur, non ipsi, sed aliis & piis tantùm usibus applicari posse tradentis, ex ratione; quòd posterioris duntaxat: non etiam prioris in propriis usus applicatio avaritiæ suspicionem præbeat hòc ipsò, quòd illa autoritate legis vel statuti; ista verò iudicis arbitriò decernatur.

Verùm huic distinctioni, licet veteri procedat, locus tamen non est novissimo Jure S. Synodi Tridentinæ: cujus PP. ad tollendam omnem avaritiæ suspicionem multas pecuniarias, eò ipsò, quòd exactæ sint, indistinctè, non Episcopo vel cameræ Episcopali: sed *Piis locis* aut causis *ibi existentibus* voluerunt applicari, *Sess. 25. cap. 3. de Ref.* quod eum Quaranta in *Summa Bullar. V. Pæna*, aliis DD. & Cardinal. S. Concilii Interpp. declarationibus adductis, tradunt Barbosa *de Offic. & potest. Episc. alleg. 107. n. 19.* & Diana p. 10. *tract. 8. resol. 2. §. At hæc omnia.* Neque obstat contraria consuetudo; quia S. Concilii decretum observatur à majori & meliori parte Episcoporum: à quibus multas & poenas pecuniarias omnes in pios usus converti, testis est *cit.* Diana *resol.*

24 3. pr. Calu tamen, quò Episcopus el-

set pauper, ejusmodi poenas statuto dicecesanò (aliis tamen, quàm clericis concubinariis aut non residentibus) impositas propriis ejus usibus applicari posse, tradunt, & memoratæ S. Congregat. declarat. firmant *cit.* Barbosa in Trident. *cap. 3. cit. n. 25.* & Oliva n. 16. ubi tamen hoc in Hispaniæ & Lusitaniæ, & Diana *resol. 5. in fine* in Sicilia (addi possunt in plerisque Germaniæ nostræ) Episcopis, quòd redditibus abundant, non procedere, advertunt.

Secundò, Verberatio sive flagellatio, 25. juxta c. 1. de *Calumniat.* & dicta *Tit. 25. n. 4. & 5.* At moderata; ne in sanguinis vindictam transire videatur, c. *In Archiepiscopatu cit.* Quam tamen poenam, licet clericis infligi Jure possit, à curiis Episcopalibus Hispaniæ, Franciæ, & Lusitaniæ recessisse, testes sunt Clarus *§. fin. q. 70. n. 2.* & Oliva *l. cit. q. 10. n. 8.* eamque in Germaniâ nostrâ clericis alicubi inflictam, non meminì, me audire.

Tertiò Tortura: cui subijci clericos 26. posse, aliqui DD. negant exemplo prophana militiæ adscriptorum: qui cùm quæstionibus non subijciantur, l. *Militæ 8. C. de Quæstionibus*, his obnoxii etiam non erunt clerici, tanquam personæ militiæ cœlesti & non minùs privilegiatæ adscriptæ, secundum Glossam in l. *cit. V. Panis*, & Everardum *Legal. arg. loco 56. n. 4.* Sed, licet hoc Juri Imperiali, *arg. l. cit.* & veteri Ecclesiæ disciplinæ conforme esse, ex Concil. Matifconenf. l. *can. 19.* & Altifiodorenf. *can. 33.* & Innocentii I. *Epist. 13.* satis constet: moderna tamen curiarum praxis clericos etiam in sacris constitutos ac sacerdotes à tortura non eximit, eosque, si de enormibus criminibus diffamati atque suspecti sint, quæstionibus subijci posse, aliis DD. allegatis tradunt Farinacius *Prax. Criminal. q. 4. n. 7.* & Guazinus

zinus *Defens. Reor. 33. cap. 10. n. 3.* qui tamen ob præsumptionem integritatis & innocentie, in sacri Ordinis & status dignitate fundatam & delictum excludentem, ad clericorum torturam delicti graviora & urgentiora, quàm ex quibus laici torqueri solent, indicia: imò Farinac. *n. 9.* ultra indicia, contra hos sufficientia, aliquam delicti aut personæ infamiam requirunt: & præterea eos præsertim Sacerdotes, propter istius Ordinis dignitatem, cui summa reverentia debetur: & propter periculum excommunicationis, si modus excedatur, mitius, quàm laici solent, torquendos monet *n. 11.* cum Claro §. *fin. q. 64. n. 24. in sine & cit. Diaz. cap. 117. post n. 5.* Quamvis autem Jure antiquo clerici per ministros laicos torqueri nequiverint, de consuetudine tamen eorum torturam istis ab Episcopis demandari, iidem Farinac. *n. 14.* & Guazinus *n. 4.* notant, ex ea fortassis ratione, ob quam clericorum capturam, incarcerationem, verberationem laicis hodie committi, dictum est *Tit. 25. n. 5.*

27. Quartò, Exilium sive relegatio clerici extra diocesim, quam Episcopus: vel extra provinciam, quam Archiepiscopus decernere potest, *c. 1. cit. can. Cum beatus 8. in sine, dist. 45. & can. Quicumque 13. §. Plerique, 26. q. 5. Piafeci Prax. Episcop. p. 2. cap. 4. art. 5. n. 14.* Prælati etiam Regularibus subditos sibi religiosos, cum id, his delinquentibus, ad correctionem, aliorum exemplum, aut Monasterii tranquillitatem expedire videtur, exilio plecendi potestatem adstruit Rodriquez *Tom. 2. Q. Regular. q. 24. art. 1.* quòd in hos ipsi idem ferè, quod in clericos diocesanos Episcopi possint. Quod si alicujus Religionis constitutionibus vel moribus receptum sit, tum ab ejus Prælato, si Religioso: imò & ab Episcopo, si clericis expulsi non tantùm diocesanos,

sed insuper civitatis & patriæ jura adimere & perfectum exilium decernere velint, brachium Seculare implorandum est, juxta *c. Si quis 2. junctâ Gloissâ, 17. Regis judicio, de Clerico Excommunicato &c. & Trident. Sess. 24. cap. 8. de Ref. quòd hujusmodi & perfecti exilii poena penes Ecclesiam non sit, Decius in c. Cùm non ab homine 10. de Judic. n. 13. & Barbosa in c. Si quis cit. n. 4.*

28. Quintò, Detrusio in arctum Monasterium: quæ olim in valde gravium delictorum reos clericos, prius depositos, imò & in laicos marces, aliquando etiam in fœminas, præsertim in adulterium vel stuprum lapsas, decerni consuevit, *can. Si qua monacharum, 27. q. 1. c. Pervenit 2. de Adult. c. Inter 10. in sine, de Purgat. Canon. c. Tue 6. hinc &c.* non quidem, ut editis Paupertatis, Castitatis, & Obedientia votis, profiterentur Religionem: sed ut in eo reclusi & ab omni mundana societate ac delinquendi occasionibus remoti, sub disciplina Monastica & poenitentia oneribus, vel perpetuo, *can. Si Episcopus 7. dist. 50. can. Si quis clericus 10. dist. 81. & c. Omnis 12. in sine, de Penit. & Remiss. vel ad quinquennium aut septennium, c. Sicut 6. §. fin. de Homicid. vel ad aliud majus minusve tempus præterita mala lugendò & quæ ad animæ salutem pertinent, cogitandò agendòque vitam extraherent, Farinac. *cit. Prax. q. 119. n. 54. & Gonzalez in c. 1. de Regular. n. 10.**

29. Quamvis autem olim hujusmodi detrusionis usus fuerit satis frequens: cum tempore tamen; quòd facinorosos homines ad poenitentiam, intra sua claustra agendâ, Monasteria ultrò non recipere: & quòd eorum plurima, & Religiosi Ordines toti per privilegia Apostolica essent exempti, ad illos recipiendos compelli à diocesani Ordinariis, non possent, ut notat Diaz *Prax. cap. 55.* abiit in detursum:

rudinem: eique Romæ & in reliqua Italia transmissio ad tritemes, testibus *cit.* Farinacio *n. 55.* & Fagnano *in c. Cum non ab homine cit. n. 104.* alibi autem ferè perpetui carceris poena successit.

30. Sextò, In carceratio: quæ custodia & poenæ causâ decerni potest, *c. Quamvis 3. in 6.* Causâ custodia in clericis decerni à iudicib<sup>9</sup> Ecclesiasticis potest, quâdo de fuga sunt suspecti, *c. Si clericos, de Sent. excom. in 6.* & protrahi solet, quousque iudicium durat, Streinius *Summe Jur. Canon. p. 3. Tit. 16. §. 2. dub. 14. n. 2.* Ejus autem solius causâ decretus carcer, ut honestus & corporis non afflictivus sit, oportet: neque, nisi præmissâ informatione de infamia aut indicis criminis, & cum de fuga suspecti sunt, adhiberi debet, hòc ipsò; quòd incarcerationi etiam sola infamiam, & non facillè reparabile præjudicium consueverit asserre, Felinus *in c. Cum super 17. de Sent. & re judic. Jason in l. Si se 4. §. 6. ff. de Re judic. & Pialecus Prax. Episc. p. 2. cap. 4. art. 14. n. 2.*

31. Poenæ causâ, licet, spectatò Imperiali, ad vincula & carcerem perpetuum damnari soli servi, *l. Servus 10.* liberi autem homines delinquentes eò supplicio coerceri non potuerint, *l. Incredibile 6. C. de Poenis.* Ecclesiasticòs tamen Jure & tribunalium usu, tam perpetuus quàm temporaneus, carcer est receptus: & clericis criminum capitalium (non quorumcunque, sed Jure expressorum, *c. Excommunicamus 15. de Hæreticis c. Quamvis 3. c. Felicit 5. hinc in 6.* & propter quæ in foro Seculari mortis naturalis (non simplicis, ut cum Innocentio *in c. Tue 6.* & Panormit. *ibid. n. 5.* existimat Oliva *cit. q. 10. n. 11.* sed obeorum enormitatem atrocioris, v.g. ignis, rotæ, damnationis ad bestias, lacerationis membrorum) poena infligitur, reis decerni consuevit, Diaz *Pract. Crimin. cap. 137.* & Streinius

*cit. dub. 14. n. 4.* Cujus rigor, licet ob criminis valde enormis atrocitatem inclusis exasperari de Jure aliquando ita possit; ut non nisi pane doloris & aqua angustia sustententur, *c. Novimus 27. de V. S. & contra vitæ subsidium mortis solatium invocent, c. Felicit 5. V. Si quis verò, in 6.* sollicitè tamen cavendum est; ne alimenta aliæque vitæ necessaria subtrahantur incarcerationi; quòd, si huic eorum defectus esset causa mortis, ab Episcopo ita severè procedente, irregularitas contraheretur, ut cum Zabarella *in Clem. 1. de Poenit. & Remiss. q. 7.* & Panormit. *in c. A nobis 5. de Apostasia n. 1.* advertunt Tholosan *Synrag. Lib. 31. cap. 33. n. 5.* Pialecus *l. cit. & Vallens. ad hanc Rubr. §. 2. n. 2.*

Septimò, Ergastulum, sive carcer affinis tabernis, destinatis ad opus & labores mancipiorum deteriorum: in quæ personas Deo dicatas, præsertim Moniales ruperit & impudicè Videntes, olim detrusas, *§. Salomon, post ean. Cum beatus 8. dist. 45. & can. Impudicas, 27. q. 1.* habetur, & tradit Tholosanus *Partit. Canon. Lib. 4. tit. 25. n. 8.*

Octavò, Confiscatio honorum, *c. Vergentia 10. de Hæreticis c. Cum secundum 19. ibid. in 6. c. Super 25. de V. S.* quæ, si clericis per sententiam infligatur aut criminis, cui ea à Jure inflicta est, rei declarentur, ipsorum bona, si beneficium habeant, applicantur Ecclesiæ, à qua stipendia receperunt, *c. Excommunicamus 13. §. Dammati, de Heret.* Si verò nulli Ecclesiæ servierunt, bona eorum perveniant ad fiscum Ecclesiæ sive Episcopi, in pios usus distribuenda, Farinac. *Prax. Criminal. q. 190. à 154.* Quæ, licet de Jure ita se habeant, & quoad beneficialia sive intuitu Ecclesiæ quæsita, indubitata sint; cum ista à clericis in pios tantum usus valeant expendi, & post eorum obitum Ecclesiis cedant, *c. 1. 6. Cum in officio*

B b b 3

7. c.

7. *C. Relatum 12. de Testament. quoad bona tamen patrimonialia Ecclesiis agrè cedit Fiscus Secularis. Imò, ubi clerici de beneficalibus liberè disponunt ac testantur ex consuetudine, etiam hujusmodi bona, quod ibi instar patrimonium censeantur, fisco Seculari cedere, præter alios notant Sanchez Lib. 2. Moral. cap. 20. n. 25. & Oliva de Foro Eccles. p. 2. q. 8. n. 21.*

ARTICULUS III.  
De Irregularitate,  
SUMMARIUM.

34. *Definitio Irregularitatis:*  
35. *Qua Jure Ecclesiastico:*  
36. *Non etiam Civilis, Naturali aut Divinò imponitur.*  
37. *Differt à Censuris ac Depositione:*  
38. *Oriturque vel ex defectu, vel ex delicto,*  
39. *Non solum veniali aut merè inter-nò:*  
40. *Sed externò etiam occultò.*  
41. *Ea non contrahitur in dubio, an alicui Jure sit annexa.*  
42. *Contrahitur à dubitante, an homicidij causa ipse, vel alius sit.*  
43. *Non contrahitur à celebrante in dubio de contracta censura,*  
44. *Vel commissa mutilatione,*  
45. *Et ipsò homicidiò, cum id secretum ignoratur.*  
46. *Contrahitur ab ignorante, eam delicto Jure annexam.*  
47. *Irregularitas impedit licitam susceptionem ordinis,*  
48. *Usurque sive exercitium suscepti,*  
49. *Et affectuionem beneficij Ecclesiastici.*

50. *Aliquando lapsu temporis, aliquando Religioni professione,*  
51. *Vel superioris Regularis dispensatione tollitur.*  
52. *Semper Papa, & Aliquando Episcopi dispensatione aboletur.*

**N**Onò, Irregularitas, quæ sic vocatur, quòd deviatio sit à Regula, à præfiscis Ecclesiæ PP. constituta pro iis, qui ad sacra ministeria admittuntur: estque Impedimentum Canonicum directè & primariò impediens Ordinum susceptionem, & in consequentiam ac secundariò susceptorum usum, Sylvester V. *Irregularitas*, n. 1. Navarrus *Manual. cap. 27. n. 191.* Covarruvias in *Clement. Si furiosus*, p. 1. pr. n. 1. & Suarez de *Censur. disp. 40. f. 1. n. 1. & 2.*  
Dico, *Canonicum*, Imprimis; quia non ab homine sive per judicis sententiam; sed à solo Jure, *c. Is qui 18. pr. de Sent. excom. in 6.* eoque non particulari v.g. statuto dioccesano, sed comuni irregularitates omnes sunt constitutæ, *citt. Covarr. n. 3. Suarez f. 4. à n. 8. & Laiman Lib. 1. tract. f. cap. 1. n. 5.* Deinde; quia irregularitates omnes proditæ sunt Jure Ecclesiastico, non Civili; quia istius Conditiones de sacrorum Ordinum susceptione, usque, tanquam spiritualibus, disponendi non habent potestatem, *c. Decernimus 2. c. Quanto 3. de Judiciis, c. Si judex 12. ibi, Quia de re Ecclesiastica & spiritualis est, de Sent. excom. in 6.* Neque Naturali; quia ex isto orta sacre Ordinationis & ministerii impedimenta, ut amentia, defectus membrorum necessariorum, Ordinum quidem incapacitates, non etiam irregularitates propriè sunt; quòd hæc capacitatem in persona supponant. Neque etiam Divinò, cum; quia omnium, quæ defacto sunt, irregularitatum nulla hoc Jure est constituta; tum verò; quia, licet ad

fiēt ad Ordinationis, non honestatem duntaxat, sed valorem quoque exigatur; ut suscipiens baptizatus & mas sit: sexus tamen istius & Baptismi defectus illius incapacitas potius, quam irregularitas est; cum ista, ut dictum, in irregulari capacitate supponat. Unde

37. Patet Irregularitatis differentia ab Excommunicatione & Suspensione, partim; quia illa non semper pœna: & quando talis est, non medicinalis, sed vindictiva & ex se perpetua est: partim verò; quia excommunicatio non impedit Ordinum susceptionem, quatenus talis, & potestatis conficiendi Sacramentum Eucharistiae, aut istius confessionem ministrandi collatio: sed quatenus quædam cum fidelibus communicatio est: suspensio autem, uti & Depositiō, per se & directè Ordinum usum: non ipsam Susceptionem impedit, & in laicum non cadit, Laiman *cap. 1. cit. n. 1.* & Palao *Tract. 29. disp. 6. p. 1. n. 2.*

38. Porro Irregularitates variae sunt: & earum quædam oriuntur ex defectu Ætatis, Natalium, Libertatis, corporis vel animi, Sacramenti vel potius significationis Sacramenti matrimonii, quarum *Lib. 1. Tit. 14.* & à *Tit. 17.* perfectæ Lenitatis Christianæ, cuius supra *Tit. 12. à n. 10.* dedi: & aliquando famæ sive læsæ existimationis, cuius §. *sequenti* dabo explicationem. Aliæ verò ex delicto, quæ omnes hęc librò, & ex iteratione Baptismi *Tit. 9. à n. 17.* ex Hæresi & Apostasia, *Tit. 7. à n. 66.* ex homicidio vel mutilatione injusta, directè & indirectè voluntaria, *Tit. 12. à n. 48.* ex Ordinis furtivè & ante legitimam ætatem suscepti exercitio orta, *Tit. 29. à n. 3.* & *Tit. 30. n. 5.* sunt declarata.

Rursum irregularitas, tam ex defectu quam ex delicto proveniens, alia Totalis est, & alia Partialis: quarum illa & pro-

priè dicta irregularitas cujuscunque Ordinis susceptione & susceptorum omni usu: ista verò Ordinum usu seu ministerio aliquò, vel solò ascensu ad superiores privat: licet in jam susceptis ministrare non prohibeat, Laiman *cap. 1. cit. n. 7.* & Palao *p. 1. cit. n. 3.*

De irregularitatibus ex delicto ortis 39. fati convenit inter DD. Primò, earum nullam contrahi, quando ejusmodi delictum ex quacunque causa solum venialiter est peccaminosum; cum verisimile non sit, aliquem à sacrorum Ordinum susceptione & usu ob venialem duntaxat culpam removeri; quia pœna gravissima, qualis ea remotio est, ut proportionata culpæ sit, utique culpam gravem requirit, Sotus *Lib. 5. de Justit. q. 1. art. 9. cit.* Navarrus *n. 252.* & Suarez *f. 3. n. 17.*

Convenit inter eos secundò, eas non contrahi ob delictum merè internum; quia Ecclesiæ potestas exterior, quæ irregularitates constituta sunt, sicut de internis actibus non judicat, *c. Sicut 33. & c. Tua nos 34. de Simonia:* sic pœnam etiam non imponit delictis merè internis, *can. Cogitationis 4. dist. 1. de Pœnit.* S. Thomas *1. 2. q. 20. art. 5. cit.* Sotus *art. 9.* Covarruvias *n. 4.* & Suarez *n. 6.* ferè exigentes actum externum consummatum, saltem secundum proprietatem verborum Canonis, quò irregularitas est constituta.

Convenit tertio, eas incurri per actum externum etiam occultum; cum id apertè supponatur à Trident. *Sess. 24. cap. 6. de Ref.* Episcopis concedente facultatem dispensandi in irregularitatibus, ortis ex delicto occulto, & desumitur ex *c. Nisi cum pridem 10. V. Nos tamen, de Renuntiat. & c. fin.* junctâ Glossâ *V. Homicidij, de Temp. Ordinat.* Ratio est; quia delicta externa, quantumvis occulta Ecclesiæ, aliquid decernentis, & pœnam ipsò factò incurrendam imponentis, judicio subji-

ciuntur,

ciuntur, *citr.* Navarrus *n.* 194. Covarruvias *p.* 2. § 3. *n.* 4. & Suarez *f.* 3. *n.* 21.

41. Dubium autem & dissensio est, an contrahantur actu, de quo dubium est, an irregularitati obnoxius sit. Qua in re plurimum interest, an Juris aut facti dubium sit; cum de Jure, sive an actui seu delicto à se commissio irregularitas Jure imposita sit, dubitantem, irregularem se reputare & pro tali gerere in neutro foro teneri, cum Covarruvia *p.* 1. *cit.* *pr.* *n.* 3. tradant Molina *Tract.* 3. *de J. & J. disp.* 67. *n.* 5. Avila *p.* 7. *disp.* 2. *dub.* 4. *cit.* Suarez *f.* 5. *n.* 4. & Sanchez *Lib.* 1. *Moral. cap.* 10. *n.* 42. Ratio est; quia irregularitas non contrahitur, præterquam in casibus Jure expressis, *c.* *Is cui & pr. cit.* Jure autem expressa non est de delicto, cui an irregularitas Jure imposita sit, post diligentem investigationem dubium manet.

42. De facto autem, sive an homicidium ex vulnere à se, vel ab alio inflicto, vel imperitiâ chirurgi, aut vulnerati culpâ: an abortus ex suo consilio, aut pharmaco oblato à se, vel aliâ causâ secutus sit, ambigentem pro irregulari se gerere & à Missarum celebratione abstinere teneri, perspicuè decisum est. *Ad audientiam* 12. *c.* *Significasti* 18. & *c.* *Petrio* 24. *de Homicidio.* Cui decisioni Panormit. *in c.* *Ad audientiam cit.* *n.* 2. Sylvester *V. Dubium*, *q.* 4. *n.* 7. Covarruv. *n.* 3. *cit.* Hurtad. *de Irregularit. difficult.* 4. *in fine*, in quibusvis dubiis facti aliorum criminum irregularitati obnoxiorum locum esse, factis probabiliter aiunt; quod nitatur expressâ ratione ac principio, In dubiis tutiorem partem eligendam: quæ cum omnibus delictis communia sint, de cujuscunque facto ita ambigentem, irregularem se existimare & à Missarum celebratione abstinere teneri, volunt. Sed verisimilibus de aliorum delictorum facto ambigentem ad hoc teneri, cum Navarro *in*

*can. Si quis* 4. *dist.* 7. *de Penit. n.* 41. negant *citr.* Suarez *f.* 6. *n.* 8. & 13. Avila *dub.* 5. *concl.* 2. Sanchez *cap.* 10. *n.* 48. & Barbosa *in c.* *Ad audientiam cit.* *n.* 2. cum; quòd de debito facti solius homicidii id Jure expressum; atque idcirco locus sit Regula, *c.* *Is qui cit.* tum verb; quòd *cc. cit.* decisio ultra casum expressum trahenda non sit; cum exorbitet à Regula Juris communis, reum in dubio absolvendum, *c.* *Unico, ut benef. sine diminut.* & benigniorem interpretationem præferendam statuentis in penalibus, *Reg. In penis* 49. *in 6.* præsertim in irregularitatibus: quas in casibus duntaxat expressis contrahi, Regula est Juris explorati, *c.* *Is qui cit.* Neque adversatur ratio seu principium, cui innititur decisio *cc. cit.* in dubio tutiora amplectenda, optimū consilium; at non generale & in omni materia, sed vi decisionis trium *cc. cit.* in homicidio necessariò observandum præceptum est, ut cum DD. *citr.* tradit Pirrhing *ad hanc Rubr. n.* 60. Unde DD. *citr.*

Irregularem non esse inferunt Primò eum, qui celebrat in dubio de contracta excommunicatione; quia tali celebratione irregularitatem incurri, ullo Jure non expressum: imò *c.* *Apostolica* 9. *de Cleric. excom. ministr.* clericus ob celebrationem irregularis solùm aseritur, si ejus de illa contracta ignorantia crassa sit ac supina, minime obscuro argumentò, eum, qui post adhibitam debitam diligentiam de censura contracta hæret dubius, eamque inculpabiliter ignorat, celebratione non fieri irregularem, *citr.* Suarez *f.* 5. *n.* 13. & 19. Sanchez *n.* 55. & Palao *disp.* 6. *p.* 3. *n.* 10. Secundò, celebrantem in dubio de facta mutilatione; quia *cc. cit.* decisio exprimit solùm homicidium, ad quod mutilatio quidem via: sed revera homicidium non est, *citr.* Sanchez *n.* 49. Palao *n.* 10. & Pirrhing *n.* 60. *in fine.* Tertiò etiam

45. *Id* etiam in dubio, an aliquis sit occisus; quia *cc. cit.* de eo solum casu sermo est, quò hominem interfectum constat, & dubium est, an ejus mors ex vulnere à se vel ab alio inflicto, aliàve causà sit secuta, Gibalini de *Irregularis. cap. 4. q. 1. à n. 17.* Diana p. 11. tract. 6. resol. 24. pr. & S. & aque & Mendo de *Jure Academico Lib. 3. n. 321.* Quartò, eum etià, qui dubitat, an homicidiù ex vulnere à se vel alio inflicto aliàve causà secutù sit, quoad Missarù duntaxat celebrationem & dispensationis petitionem: non etiam quoad alias pœnas pro irregulari se gerere teneri, cum; quia *cc. cit.* loquuntur de sola Missarum celebratione: tum verò; quia pœna Jure, imposita delicto certo, ad dubium porrigenda non est, Panormit. in *c. Significasti cit. n. 4. cit.* Suarez f. 6. v. 6. Sanchez n. 45. & Barbosa n. 3.

46. Dubium etiam est, an irregularitas contrahatur ab eo, qui eam delicto annexam ignorat; talem enim ab ea absolvent Innocentius in *c. Anobis 28. de Sent. excom.* Navarrus *Manual. cap. 17. n. 274.* Philarch. *Tom. 1. de Offic. Sacerd. p. 1. lib. 3. cap. 4.* & Bonacina *Disp. 1. de Censur. q. 2. p. 1. n. 13.* eà ducti ratione; quod irregularitas eò ipsò; quòd ad sui executionem obliget, delicti pœna omnino extraordinaria sit; cujus pœna ab ignorante non incurritur; cum exigat consensum saltem tacitum, sive præviam notitiam culpæ, prout tali pœnæ substat, arg. *e. fin. de Constitur. in 6. & can. Proposuisi 2. V. Nam si, dist. 82.* ex quorum textuum prioris censura: ex posterioris dispositione etiam depositio non incurritur ab eis, qui eas lege Ecclesiasticà delicto impositas ignorant.

Sed, esto, hoc de censuris & aliis pœnis ita sit, alia tamen ratio est irregularitatum; cum hæc non medicinales, ut censura: nec, ut depositio, pura pœnæ,

sed inhabilitates quædam sint; ob sacri ministerii honorem ac reverentiam Jure prodita, & ab illo tanquam indignum removens eum, qui actus peccaminosi labe voluntariè se inquinavit, *cit.* Suarez *disp. 40. f. 5. n. 9.* Vasquez de *Excom. dub. 16.* Avila *Disp. 1. dub. 7. conclus. 2. & cit.* Hurtad. *difficult. 8. n. 29.*

Irregularitatis undecunque ortæ tres præcipuè sunt effectus. Primus ac primarius est privatio Ordinis licitè suscipiendi, *can. Curandum 6. can. Si cujus uxorem 8. dist. 34. &c.* An etiam primæ tonsuræ, aliqui in dubium vocant; quòd hæc propriè non Ordo, sed ad istius susceptionem solummodo dispositio sit & via. Sed malè; cum enim irregularitas ad hominem extra clericorum Ordinem constituendum tendat, eum etiam à prima Tonsura, quæ ad clericalem Ordinem proximè aptum reddit, removebit, Navarrus *Consl. 24. de Temp. Ordinac. n. 1. & 5.* Suarez *cit. disp. 40. f. 1. n. 13.* & Garcias p. 7. de *Benef. cap. 12. n. 30.*

Alter, & secundarius est privatio 47. ulùs sive exercitii Ordinis validè suscepti, saltem alicujus, si particularis: si verò totalis sit, cujuscunque, *e. fin. de Temp. Ordinac. c. Inquisitionis cit. pr. & c. Ad audientiam cit.* ut planum est ex ejus definitione, Sylvester *V. Ordo 2. q. 2.* Navarrus *Manual. cap. 27. n. 194.* & Suarez *f. 1. cit. n. 4.*

Tertius, privatio beneficiorum Ecclesiasticorum obtinendorum saltem, si 48. irregularitas sit totalis, ut colligitur ex *c. Dudum 21. de Elect. c. fin. de Cleric. duell. & Trident. Sess. 14. cap. 7. de Reformat.* qui & similes textus alii, si id non persuadeant, ratio evincit; cum enim beneficium detur propter officium, *e. fin. de Rescript. in 6.* qui istius per divinorum celebrationem & Ordinum usum exercendi capax non est, id consequi non debet, arg.

bet, *arg. o. fin. de Cleric. excom. ministr.* cujus textus argumentò collationem irregulari factam irritandam: non ipsò Jure irritam, cum Sylvestro *V. Excommunicatio 4. n. 4.* defendunt eij. Suarez *f. 2. n. 36.* Laiman *cap. 1. cit. n. 2. & 3. cit. Hurtad. difficult. 5. n. 20.* & Palao *Tract. 29. diff. 5. p. 5. n. 27.* Ratio est; quia, sicut irregularitas Jure tantum expressis casibus statuenda, *pr. e. Is qui 18. cit.* sic tribuendi ei non sunt effectus, non expressi Jure; quò personæ ad beneficia validè obtinenda inhabilitas, eiq; factæ collationis nullitas expressa non est.

49. Ex irregularitatibus ea, quæ provenit ex defectu ætatis, cum tempore cessat; & quæ ex natalium defectu orta est, Religiosâ Professione eatenus aboletur; ut illegitimè natus ad Ordines etiam sacros & officia inferiora promoveri valeat sine ulla in defectu isto dispensatione: remaneat tamen inhabilitas ad Prælaturam, *e. 1. de Filiis Presbyr.* Quin Sotus *in 4. dist. 25. q. 1. art. 3.* ingressu Religionis ceteras quoque irregularitates, bigamiâ duntaxat, & eâ, quæ ex homicidio voluntario oritur, exceptis, tolli: eaque in re usum seu consuetudinem Juri prævaluisse, existimat. At contra communem sensum DD. aliorum, non agnoscentium usum, vi cujus irregularitates in Regularibus ad binarium sint reductæ: sed privilegia tantum Apostolica, quibus Ordinum Mendicantium superiores, etiam Bigamiæ & ex homicidio, non tamen notoriò, ortam relaxandi obtinent facultatem, Rodriguez *Tom. 1. Regular. q. 24. art. 12.* Quæ subditorum suorû in foro Conscientiæ quamlibet irregularitatem per se vel per alios relaxandi facultas à sede Apostolica etiam indulta est Præposito Generali Societatis JESU, ut habetur ejus *Privileg. Compend. 5. Dispensatio, n. 4.* ut observat Palao *p. 7. n. 2.*

Easdem, ex quocunque seu defectu seu delicto ortæ sint, relaxandi potestas citra omnem dubitationem penes Papam residet, hòc ipsò; quòd Ecclesiastico Jure omnes sine introductione, *can. Sane quidam 6. pr. 25. q. 1. & c. Proposuit 4. junctâ Glossâ V. Supra jms, de Concess. Prab.*

Episcopis quoque in omnibus ex delicto occulto provenientibus & ad forum contentiosum non deductis, exceptâ eâ, quæ ex homicidio voluntario oritur, cum subditis suis diocæsanis per se aut vicarium, ad id specialiter deputandum, in foro Conscientiæ dispensandi facultas concessa est à S. Synodo Trident. *sess. 24. cap. 6. de Reformat.* Quò decretò concessa potestas cum pertineat ad jurisdictionem eorum Ordinariam, *arg. l. Et quia 6. ff. de Jurisdic.* Episcopali sede vacante, competit Capitulo: uti & Abbatibus & aliis Prælati, in proprio territorio, istinque clerum ac populum obtinentibus jurisdictionem quasi Episcopalem, per tradita à Panormit. *in c. Verùm 7. de Foro compet. n. 9.* Felino *in c. Eam te 7. de Rescript. n. 17.* Henriquez *Lib. 8. de Matr. disp. 20. n. 10.* Quando autem delictum occultum & ad forum contentiosum non deductum ad effectum dispensationis censeatur *Tit. 12. d. n. 168.* est explicatum.

#### ARTICULUS IV. De Infamia.

##### SUMMARIUM.

52. *Definitio Infamie:*  
53. *Qua vel solius facti est,*  
54. *Vel Juris, & aliquando ipsâ perpetratione criminis,*  
55. *Publici tamen ac notorii:*  
56. *Aliquando iudicis de crimine condemnata.*



demnantia sententiâ,

67. Ab eõe imposta pena genere contrahitur:  
 68. Aliquando oritur ex delicto alieno.  
 69. Infames non admittuntur ad dignitates & honores:  
 70. Ab actibus legitimis & publicis muneribus repelluntur:  
 71. Ab Ordinum susceptione usque impediuntur,  
 72. Infamia Juris naturâ suâ perpetua est:  
 73. Supremi tamen, & aliquando Secularis, Principis autoritate aboletur,  
 74. Infamia facti tollitur ipsâ vite commendatione.
- § 2. **D**Ecimò, Infamia seu privatio bonæ famæ: quæ cum dignitatis & existimationis illatæ status, legibus ac moribus comprobatus, & in nullo diminutus sit, l. Cognitionem §. 1. ff. de Extraord. cognit. ei opposita infamia ejusmodi moribus ac legibus comprobati statûs læsio seu diminutio erit, ob publicam sinistrâque ex vitio de persona ortam opinionem, Tholosan. Lib. 31. Syntag. cap. 29. n. 5. & Suarez Diss. 48. de Censur. f. 1. n. 1.

- § 3. Est autem infamia duplex. Una Juris, altera Facti: quarum ista ex ipsa solâque inhonesti operis vel defectûs, apud probos & honestos viros notam afferentis & boni nominis existimationem diminuentis, turpitudine manifesta nascitur, l. Neque famosis 2. C. de Dignitat. quædam enim hominum facta naturâ suâ dedecus habent, & diminuunt existimationem: licet neque lex, neque judicis sententia infamem declaret; sic enim qui scortum celat, vel libidinis causâ meretricis fores effringit, licet à judice nunquam deprehensus, re ipsa tamen & honestorum virorum opinione famæ non

effugit jacturam, l. Verum 39. ff. de Furtiv. Illa sive Juris infamia delicto annexa est publicâ legis vel canonis autoritate: & contrahitur tribus modis: ipsò Jure, sententiâ judicis, genere pœnæ.

Ipsò Jure contrahitur, cum talè quid perpetratum est, quod ante judicis sententiam leges vel canones probro & ignominia dignum judicant: cujusmodi facta & crimina sunt lenociniû, exercitiî fœminæ aut maris quaestuariâ prokutione, l. Athletas 4. §. 2. ff. de Hæ, qui not. inf. & l. Pulam 43. §. 6. C. ff. de Rit. nupt. bina sponsalia, binasve nuptias eodem tempore & propriâ autoritate constitutas habentis, l. Quid ergo 13. ff. de Hæ qui not. non etiam intra annum luctûs nubentis, c. Super illa 4. & c. fin. de Secund. nupt. operam suam ad depugnandum cum bellis locantis, l. 1. §. 6. V. Et qui, ff. de Postul. quaestus causâ, sive, accepto pretio, cum alio homine in certamen privatum descendens, l. Quod ait 2. §. fin. ff. de Hæ, qui not. infam. histrionum sive pro eodem quaestu turpes ludos edentium, S. fin. cit. & mulierem ejusmodi spectaculis edendis mancipatam ducentis, can. Sâ quis viduam 12. dist. 34. juramentum promissorium contractui & transactioni appositum, cum posset, non observantis, l. Si quis major 41. C. de Transact. Hæretici, Auth. Gazaros C. & c. Excommunicamus 13. §. Credentes, de Hæretic. Usurarii manifesti, improbum fœnus exercentis & usuras usurarum injustè exigentis l. Improbum 20. C. Ex quib. caus. inf. irrog. Divinæ humanæque Majestatis violatæ rei, & S. R. E. Cardinalem hostiliter insequentis, c. Felicius 5. in 6. fœminam matrimonii ineundi causâ rapientis, Trident. Sess. 24. de Ref. Matr. in duellum descendens & patrinorum Trident. Sess. 25. cap. 19. de Reform. Sodomie voluntariæ exercitæ ex consuetudine, teste

C c c a

Lalman.

Laiman. *Lib. 1. tract. 5. p. 5. cap. 4. n. 1.*  
 & aliorum infamiam notatorum Jure Civi-  
 li: quò infames redditi tales etiam Jure  
 Canonico censentur, *can. Omnes 6.*  
*q. 1. nisi hoc Jus infamiam expressè tol-*  
*lat, Felinus in c. Testimonium 54. de Test.*  
*& attest. n. 15. Tholosan. cit. cap. 29. n.*  
*9. Garcias p. 7. de Benef. cap. 8. n. 11.*  
*cit. Suarez f. 1. cit. n. 1. & alius DD. re-*  
*latis Barbosa in can. Omnes cit. n. 1.*

55. An hujusmodi delicto etiam occul-  
 to infamia irrogetur, dubium & dissen-  
 sio est inter DD. eò enim hanc incurri,  
 volunt Sylvester *V. Irregularitas, q. 14. &*  
*Suarez f. cit. n. 17.* quòd criminis non  
 manifestationi, sed perpetrati infamia  
 Jure imposita sit. Sed, licet hæc infam-  
 iæ radix sit & fundamentum, criminis  
 tamen perpetrati manifestatio seu publi-  
 catio necessaria est, ut actu infamet; cum  
 infamia diminutio sit famæ seu bonæ exi-  
 stimationis, quæ actu non diminuitur,  
 delictò remanente occultò, Panormit. *in*  
*c. Ex tenore 4. de Temp. Ordinat. n. 4.*  
*Navarrus Manual. cap. 27. n. 248. Co-*  
*yarruvias Lib. 3. Var. cap. 3. n. 2. & Sanchez*  
*Lib. 2. Moral. cap. 26. n. 1.* Publi-  
 catò autem & evulgatò delictò statim in-  
 famia completa est; ut effectus suos abs-  
 que ulla sententia, etiam criminis decla-  
 ratoria inducat. Quin, si ejusmodi cri-  
 minis evulgationem prævideat, ab acti-  
 bus ex infamia irregulari interdictis ab-  
 stinere reum jam teneri, Suario haud æ-  
 grè concedunt Laiman. *cit. cap. 4. n. 9.*  
 & Palao *Tract. 29. disp. 6. p. 20. n. 3.*

56. Judicis sententiâ infames evadunt  
 quicumque ex accusatione condemnati de  
 delicto publico, hoc est, tali, cujus ac-  
 cusatio cuilibet de populo est permissa,  
*S. 1. Instit. de Publ. judic.* sicut sunt crimi-  
 na proditiõnis, falsi, adulterii; *l. In-*  
*famem 7. ff. de Publ. judic.* uti & de ra-  
 pta, furtò, expilata hæreditate, & de inju-

riâ, etiam non atrociori, damnati; quan-  
 tumvis enim hæc delicta privata sint, sub-  
 secutâ tamen judicis condemnatione eti-  
 am ipsa irrogant infamiam, *l. Infamem*  
*cit. l. Decuriones 5. l. Furti 8. l. Si te ex-*  
*pilasse 12. C. Ex quib. caus. inf. irrog.*  
 quam de iis quoque, ne accusaretur a  
 datò pretiò pacificens non evitat, *l. Arb-*  
*letas cit. §. fin.* sicut nec ille, qui dolè  
 mali, suò nomine admitti, vel calumniæ  
 prævaricationisque, in publico judicio  
 commissæ, est damnatus, *l. Fustibus 6. C.*  
*Ex quib. caus. inf.* His tamen crimini-  
 bus, ut infamia contrahatur, necesse est,  
 ut quis de iis condemnatus sit per judicis  
 sententiam, quæ non invalida nec suspen-  
 sa sit per appellationem, sed tranferit  
 in rem judicatam, *l. 1. §. l. Furti 7. §. 1.*  
*ff. de His, qui infam. not.* Sylvester *V. In-*  
*famiam, n. 12. Molina Tract. 4. de I. & I.*  
*disp. 9. n. 4. Suarez f. 1. cit. n. 6. & Pe-*  
*rez in C. Ex quib. caus. inf. irrog. n. 9.*  
 qui *n. 12.* rectè monet, de hujusmodi cri-  
 minum aliquo à judice condemnatum in-  
 famiam fieri, quantumvis in sententia in-  
 famiæ expressa mentio non fiat: dummo-  
 do in ea crimen sit expressum, Perez *in*  
*C. Ex quibus caus. inf. irrog. n. 12.*

Pœnæ genere infamia irrogatur ei, §7.  
 qui ignominia causâ exauctoratur mili-  
 tia, ordine movetur, vel honoribus in-  
 terdicitur, *l. 1. l. Quod ait cit. pr. §. l.*  
*Esst 2. C. Ex quib. caus. inf.* vel depor-  
 tatus, vel ad tempus in opus publicum  
 est damnatus, *l. Ad tempus cit. fustibus*  
 casus, ex iusta tamen causa; quia non  
 tam fustigatio, quàm causa, propter quam  
 iustus fustium quis meruit, infamat, *l.*  
*Ittus 22. ff. de His, qui not. inf. §. l. Fustibus*  
*cit. Perez l. cit. n. 10.*

Juris infamia quædam oritur ex de- §8.  
 licto alieno: cujus ratione infames sunt  
 filii ac nepotes parentum, violentas man-  
 nus injicientium in aliquem S. R. E. Car-  
 dinalem,

Infamem, *c. Felicis 5. v. Quid si quis in 6.* filii perduellium & proditorum, committentium crimen læsæ Majestatis, *l. Quisquis 5. C. Ad L. Jul. Majest.* Uti & illegitimè procreati. Sed hi respectu aliorum duntaxat & Jure expressorum effectuum; cùm, licet Ecclesiasticò Jure ab Ordinibus & beneficiis repellantur, ad testimonium tamen in judicio dicendum, ad tabellionatùs & alia munera admittantur, *citr. Molina disp. 7. n. 5. & Laiman. cap. 4. n. 1. §. Altera,* ubi infamibus in Germania nostra connumerat filios carnificum & quorundam licitorum; quòd non solum à dignitatibus & officiis publicis, sed ab officiis quoque & mechanicis muneribus arceantur.

89. Utràque, tam ex facti turpitudine quàm autoritate Juris proveniente, infamia notati à dignitatibus & honoribus excluduntur, *l. Neque famosis 2. C. de Dignit. & Regula, Infamibus porta non pateant dignitarum,* quæ est *85. in 6.* præsertim Ecclesiasticarum; quia hæc, sicut & cætera beneficia atque officia Ecclesiastica, non nisi à probatis & integræ existimationis personis administrari debent, *c. Inter dilectos 10. de Excess. Prælat. Panormit. in c. Querelam 10. de Jurjurando n. 3. Covarruvias cap. cit. n. 3.* adeò; ut infamis electionem eique factam beneficii collationem ipsò Jure nullam, cum Panormit. *in c. Inter cit. n. 8.* censent Navarr. *cap. 27. cit. n. 207. Selva p. 3. de Benef. q. 5. n. 31. & cit. Molina disp. 11. n. 3.* Quod, licet ab aliis quoque DD. & externo usu receptum sit, in interno tamen seu Conscientiæ foro provisionem beneficalem quamcunque subsistere, volunt *citr. Garcias cap. 8. n. 47. & Palao p. 20. n. 11.* quod eam irritam ullò Jure non expressum, & actùs nullitas sine manifesto Juris textu statuenda non sit.

Eadem infamia removet ab actibus legitimis & publicis muneribus: ut sunt officia judicis, assessoris, advocati, tabellionis, accusatoris, adeò; ut neque ad testimonium dicendum sint admittendi, *c. Testimonium 54. §. l. Testium 3. §. 1. ff. de Testibus:* si deliquerint, severiori, quàm alii, pœnâ coercantur, & ab hereditate testamentò relicta repellantur, non solum si parentes, sed etiam si fratres aut sorores de inofficioso agant, *l. Fratres 27. C. de Inoffic. test. ubi Perez n. 16. & Bruneman. in l. cit. n. 1.*

Demum infames sunt irregulares; ut neque promoveri ad Ordines, neque in susceptis ministrare possint, *can. fin. disp. 51. can. Infames 6. q. 1.* quòd in sortem domini & ad ministerium sacrum puri duntaxat & immaculati nominis homines debeant coopari, Navarrus *cit. n. 204. citr. Suarez f. 2. n. 1. & Laiman. cap. 4. n. 8.*

Porro infamia, ob crimen notorium ipsò Jure, vel per judicis sententiam interogata, perpetuò durat, *l. Ad tempus cit. Nisi à Principe, cujus autoritate imposta est, aboleatur, §. Hinc post can. Euphemium 2. q. 3.* Et clerico quidem eam, undecunque orta sit, aboleri auctoritate Apostolica posse, res est omnino explorata; cùm supremæ huic jurisdictioni sit subjectus. Eadem est ratio laicorum, subditorum Papæ jurisdictioni temporali: imò & aliorum, quoad effectus, Jure Canonico infamibus indictos; cùm absolute loquendò Ordinum ac beneficiorum Ecclesiasticorum capaces reddere quoscunque possit. Quoniam verò ad ea, ante purgatam infamiam, aliquem promoveri publicè non expedit, id Papa nunquam solet, antequam ad Ordines aut beneficia promovendus, in pristinum bonæ existimationis statum restitutus sit à Principe, vel alio supremo Magistratu

gistratu Seculari, *citt. Molina disp. 12. n. 3. & Palao p. 20. n. 11.* Cujus auctoritate, si Jure Civili (etiam à sacris Canonibus generaliter recepto, *can. Omnes 6. q. 1.*) indicta infamia abolita sit, in ea fundata irregularitas cessat; ut persona pristinae famae sic restituta ad Ordines & beneficia Ecclesiastica sine alia dispensatione valeat promoveri. Si infamia sit Juris Canonici, non solum generatim Civili irrogatam approbantis, *can. Omnes cit.* sed specialiter sive particulari dispositione statutis: ut ea quam haereticus, usurarius manifestus, binas nuptias simul contrahentes, Cardinalem hostiliter persequentes &c. incurrunt, imposita fuit, restitutione famae, Principis secularis auctoritate facta, quoad effectus Canonicos non aboletur ad Ordines & beneficia opus sit Apostolicâ dispensatione, *citt. Suarez s. 2. n. 10. & Laiman. cap. 4. n. 10.*

64. Infamia solius facti, ex quantumcunque enormi crimine orta, factò contrariò sive publicâ constanti & triennio saltem continuatâ vitæ emendatione aboletur, ut cum Panormit. *in c. Inquisitionis cit. n. 3. Sylvestro, V. Infamia n. 11. & Claro s. fin. q. 21. n. 1. docent citt. Garcias cap. 8. n. 64. Molina Disp. 10. n. 1. & Suarez n. 6. & colligitur ex can. Si duo. 35. q. 6. verbis, Infames effecti, donec ab incestu crimine desistant, aperteque traditur can. Nunquam 3. dist. 56. ubi relatus D. Chrysostomus, Ad meliora, inquit, conversum nequaquam prior vita commaculat. Ratio est; quia infamia, quæ ex factò nascitur, factò adhæret, eoque vitæ in melius mutatione abolitò ac cessante, etiam ipsa cessat & aboletur, c. Cum cessante 60. de Appellat. ut ad Ordines, dignitates, beneficia & officia quæcunque aspiranti dispensatio necessaria non sit. Unde eam,*

quæ solius facti infamiam inducitur, propriè dictam irregularitatem esse, meritò negat *citt. Laiman. n. 10. in fine*, quòd inllat ejus, quæ in ætatis defectu fundatur, non sit perpetua, & cum infamia aboleri valeat sine ulla dispensatione, contra, quàm solent cateræ ac propriè dictæ irregularitates.

### ARTICULUS V.

## De Privatione Beneficii & Depositione.

### SUMMARIUM.

- 65. Privatio beneficii aliquando incurritur ipsò Jure,
- 66. Clerico criminoso ejus titulum,
- 67. Non etiam possessionem sine sententiâ declaratoria auferente:
- 68. Aliquando sententiâ condemnatoriâ judicis,
- 69. Ob varia crimina eam infligentia.
- 70. Depositio ab Ordine, officio & beneficio remouet:
- 71. Et aliquando similis est privationi beneficii,
- 72. Et suspensioni: à qua differt duratione.
- 73. Privilegia Fori & Canonis non semper aufert.
- 74. Aliquando ab Episcopo relaxatur.
- 75. Ei varia crimina etiam hodie obnoxia sunt.

**U**ndecimò Inhabilitas ad dignitates, beneficia & officia Ecclesiastica obtinenda, c. Quicumque 2. §. Haereticus, c. Statutum 15. de Haeretic. in 6. & Privatio legitimè obtentorum, c. *citt. &c.* Hæc autem privatio duobus modis induci potest ac solet.

Aliquando

Aliquando ipsò Jure, eam crimini si-  
ve ejus perpetratiioni annexente & reo  
infigente: cujusmodi privationem in-  
ducentia crimina, præsentì Rubricæ sub-  
jectis textibus expressa, sunt cades Resto-  
ris vel beneficiari Ecclesiæ, in qua bene-  
ficii obtinetur, *c. In quibusdam* 12.  
hostilis persecutio, percussio aut capti-  
vatio alicujus S. R. E. Cardinalis, ad eam-  
ve cooperatio, *c. Felicit* 5. in 6. percus-  
sio, persecutio &c. Episcopi, *Clement.*  
1. Violenta detentio personæ Ecclesia-  
sticæ ad effectum extorquendæ ab ea re-  
nuntiationis beneficii, vel impediendæ  
comparitionis apud sedem Apostolicam,  
*Clement. Multorum* 2. & per multa alia,  
quæ propriis locis attigimus & plenâ ma-  
nu congesta referunt Azor p. 2. *Instit. Lib.*  
7. cap. 17. q. 1. Corrasius p. 1. *de Benefic.*  
cap. 8. & Vallenf. *Lib. 2. de Benef. Tit.*  
23. à n. 10. & *tit. 24. à n. 1.*

66. Hujus autem, si ve ipsò Jure inductæ  
privationis notabiles effectus sunt. Pri-  
mò enim ipsò criminis perpetrati factò  
amittitur titulus seu proprietas beneficii;  
ut hoc vacet & ante omnem judicis sen-  
tentiam impetrari ab alio possit, *arg. c.*  
*Licet* 28. *de Prab. & dignit. in 6.* Se-  
cundò, ita privatus ex beneficio ab ipso  
criminis commissi die provenientes fru-  
ctus non facit suos, eosque restituere  
tenetur, *Extravag. Cum detestabile* 2.  
*inter com. de Simonia.* Tertiò, bene-  
ficii is, qui ita privatus est, tanquam  
non suum ex causa permutacionis, in fa-  
vorem &c. resignare amplius non potest,  
Rebuffus *de Pacif. possess. à n. 261.*  
Quartò, si beneficio ita privatus moria-  
tur, non tanquam per obitum, sed tan-  
quam ex delicto vacans debet impetrari;  
quod beneficii titulus & proprietas ante  
obitum jam fuerint amissa, Azor *cap. cit.*  
n. 2. & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 57.*  
67. à n. 253. Ipsam tamen beneficii posses-

sionem delinquens statim dimittere, juxta  
dicta n. 18. non tenetur: sed in ea per-  
severare potest, donec super beneficii &  
fructuum retentione impetret dispensa-  
tionem, vel ejusmodi criminum alicujus  
perpetrati reus per sententiam à judice  
competente declaratur, Felinus in *c. Ru-*  
*dolphus* 35. *de Rescript. n. 38.* Sotus *Lib.*  
2. *de Justit. q. 6. art. 5.* Covarruvias p.  
2. *de Sponsal. cap. 6. §. 8. n. 8.* Gutti-  
rez *Lib. 2. de Canon. cap. 5. n. 28.* A-  
zor *cit. cap. 17. q. 3.* & Pialecius *Prax. p.*  
2. *Episc. cap. 4. art. 14. n. 18.*

Aliquando beneficii privatio, licet 68.  
Jure decreta sit, clerico tamen criminis  
reo ab eo non inflicta si ve annexa est ipsi  
criminis perpetratiioni: sed à judice inflig-  
enda est per sententiam condemnato-  
riam, quâ ille non solum crimen com-  
mississe declaratur: sed in istius poenam  
privatio si ve ademptio beneficii expressè  
irrogatur, Innocentius in *c. Qualiter* 18.  
*de Accusat.* & Pialecius *cit. n. 16.* quâ  
sententiâ cum beneficii titulus primùm  
amittatur & inducatur vacatio, ante eam,  
etiam post crimen commissum & in judiciû  
jam deductum, beneficium ab alio non  
impetrari, ex causa autem permutatio-  
nis aliòve modò resignari potuit à reo:  
qui etiam fructus ante sententiam perce-  
prosecit suos, & restituere post eam non  
tenetur, Covarruvias p. 2. *de Sponsal.*  
*cap. 6. §. 8. n. 8.* Laiman. *Lib. 4. Tract. 2.*  
*cap. 17. n. 2.* & Pirrhing *ad Rubric. de*  
*Concess. Prabend. n. 27.*

Hujusmodi autem privationis poe-  
næ, licet casibus duntaxat Jure expressis,  
& à *citt.* Azor *cap. 18.* & Vallenf. *Lib.*  
3. *tit. 11. à n. 2.* relatis locum esse, com-  
munis DD. assertio sit, crimina tamen,  
quæ eam merentur, in specie referri aut  
sub una Regula comprehendi omnia non  
posse: imò expressis similibus, sed gra-  
vium duntaxat criminum reis eam impo-  
ni posse.

ni posse, existimant Panormit. *in c. At si clerici 4. de Judiciis n. 38. Selva p. 3. de Benef. q. 3. n. 2. & Garcias p. 11. de Benef. cap. 10. n. 3.* qui tamen iudicem monent, recentiora potius Jura & curiarum praxia, quam veteres canones attendendos; quod hi ad privationis ac depositionis poenas multò, quam nostrorum temporum corruptio fert, sunt pro-niores.

70. Dnodecimò, Depositio simplex, quæ clericus perpetuò removeatur vel ab Ordine vg. Sacerdotali aut Episcopali, *c. At si clerici 4. de Judiciis*, non quoad characterem; quia hic indelebilis est; *can. Oshenditur 30. dist. 4. de Consec.* sed quoad exercitium sive executionem, vg. celebrationem, ordinationem, absolutionem poenitentis, Suarez *de Censur. disp. 30. f. 1.* vel à beneficio vg. à parochia, sive ejus administratione & fructuum perceptione, *c. Ut clericorum 13. V. Si quis, de Vita & honest. & c. Insinuati 13. de Simonia*, & ipsò etiam beneficii titulò, Gonzalez *in c. Si quis 2. de Clerico excom. ministr. n. 7.* vel ab officio, vg. à Sacramentorum administratione & jurisdictione, *c. Latores 4. de Cleric. excom. ministr. & c. Ut clericorum cit. §. Pralati*; vel ab officio simul & beneficio, *c. 1. de Homicid. in 6. Gonzalez n. 7. cit.* Unde

71. Patet primò, beneficii Privationem speciem quandam aut simillimam esse Depositioni à beneficio; cum utraq; beneficii titulus auferatur; ut proinde depositio non immeritò à Panormitano e-jusdem privatio quandoque nominetur, apud Suarez *Disp. 30. de Censur. f. 1. n. 4.* licet, ultra privationem possessi, ad idem & alia beneficia obtinenda inducat inhabilitatem, ut *idem n. 5.* observat.

72. Patet secundò, Depositionem affinem etiam esse Suspensioni; quia, licet aliquando cum ista à DD. & Jure etiam

confundatur, propriè tamen accepta differt; quòd non sit poena medicinalis; cum naturâ suâ sit perpetua, & sine remissionis spe inferatur: & quòd ab officio & beneficio ipsomet removeat, & non, ut suspensio, illius exercitiò duntaxat & illius administratione, fructuumque perceptione: sed, ut ipsium nomen indicat, per se ipsâ radice sive officio & munere, ipsòque beneficii titulò & quasi dominio privet, Suarez *cit. f. 1. n. 4. & 7. Laiman, Lib. 1. tract. 8. p. 3. cap. 5. n. 2. & Gonzalez cit. n. 7.* Cui non offuscit; quòd à beneficio perpetuò suspensus id etiam amittat; cum beneficium habere non debeat, qui ejus fructuum perceptione perpetuò est interdictus; quia hujusmodi suspensionis vi id non ipsò Jure, ut qui à beneficio est depositus, amittit; atque idcirco, suspensione relaxatâ, beneficium retinet sine nova collatione: quæ deposito necessaria est ad ejus retentionem, Suarez *cit. n. 4.*

Privilegia tamen Fori & Canonis, si eorum ademptio in sententia non exprimitur, ita depositus retinet, ut colligitur ex *c. Cum non ab homine 10. de Judiciis*; ex cujus dispositione curiæ Seculari clericus depositus non permittitur, nisi, crescente contumaciâ propter, incorrigibilitatem degradetur, Panormit. *in c. At si clerici cit. §. De adulteris, n. 2. Navarrus Manual. cap. 27. n. 31. Suarez f. 1. cit. n. 8. & Barbosa de Offic. & potest. Episc. alleg. 110. n. 3.*

Quantumvis autem Depositio natura suâ perpetua sit, nihilominus Episcopus cum clericis, ob adulterium & crimina, eò non graviora, depositis, post peractam poenitentiam dispensare, eòsque in pristinum statum restituere potest, ex concessione Alexandri III. *c. At si clerici & §. De adulteris cit.* Panorm. *in §. cit. à n. 1.* Laiman, *n. 5.* Barbosa *n. 8.* & Gonzalez

Gonzalez in §. cit. n. 1. ob tale aliquod crimen depositorum restitutionem, sede vacante, Capitulo adstruens, cum est. Panormit. n. 17.

Neque obstat; quod depositus sit infamis, can. Infames 17. ibi, Pro sceleribus suis ab Ecclesia depulsos, 6. q. 1. clericos autem infamia notatos famæ restituere solus Papa, non etiam Episcopus possit, arg. c. Cum te 23. de Sent. & re judic. §. 1. §. 10. ff. de Postul. Verum, quia his textibus Principi directa solùm famæ restitutio reservatur; ea autem, quæ indirectè & per consequentiam quandam fit, §. cit. V. Pro qua. Prætori permittitur, clericum propter ejusmodi adulterium depositum pristino gradui & famæ restituere Episcopus, licet nequeat directè, indirectè tamen valebit, in casu à Jure concessio dispensandò in sententia, ex qua infamia est orta, ut in §. De adulteris cit. notat Panormit. n. 15. Quando autem hæc orta est ex facto seu crimine clerici, istò per pœnitentiam delictò, tollitur etiam ipsa, juxta dicta n. 64. ut non impediatur ab Episcopo faciendam restitutionem.

75. Crimina perpetuæ depositionis pœnæ Jure obnoxia à sacrorum Canonum Interpp. & DD. aliis permulta recensentur. Mihi cum Panormit. inc. At si clerici cit. à n. 33. Laiman. Lib. 1. tract. 5. p. 3. cap. 5. n. 2. & Palao Tract. 29. disp. 4. p. ult. n. 4. statuendum videtur discrimen inter tempora; quantumvis enim priscorum canonum priscis ac severioris disciplinæ moribus accommodatus rigor homicidium, furtum, perjurium, adulterium & his majora quævis: imò & minora crimina, arg. §. De adulteris cit. depositionis pœnâ vindicant: nostrò tamen, eoque non optimò ævò eâ animadverti in clericos non solet, nisi rei sint criminum valde enormium sive salium, quæ non

solùm naturâ & objectò, sed circumstantiis quoque & adjunctis qualitatibus ponderatis publicè valdè scandalosa & atrocita præsenti judicis arbitriò reputantur, ut vg. homicidium voluntarium ac præmeditatum, adulterium vel stuprum violentum, furtum sacrilegum rei pretiosa, notoria, & insuper habitis monitionibus, continuatè fornicationes, ut colligitur ex c. Si autem 6. de Cohabit. cler. & mul. Trident. Sess. 22. de Observand. in celebr. Miss. & Sess. 25. cap. 14. de Reformat.

### ARTICULUS VI.

## De Pœna Degradationis.

### SUMMARIUM.

76. Ista clericus privatur ipsò statu clericali:
  77. Vel solùm verbaliter sive per solennem sententiam:
  78. Quâ ille à Papa vel proprio Episcopo,
  79. Aliis Episcopis & viris Ecclesiasticis presentibus,
  80. Votumque decisivum habentibus,
  81. Et unanimiter consentientibus, statim illò dejicitur.
  82. Vel etiam realiter sive per sententiam solemnem executionem:
  83. Quâ peractâ, clericus curiæ Seculari relinquatur,
  84. Cum intercessione pro eo, ad Ecclesiasticam mansuetudinem ostendendam potius,
  85. Quam ad irregularitatem evitandam, interpositâ.
  86. De Jure degradantur soli clerici incorrigibiles,
- D d a

§7. Etiam

87. Etiam rei criminum enormium:  
 88. Nisi his degradatio imposta sit à Jure,  
 89. Varia crimina ei specialiter subji-  
 ciente:  
 90. Vel curiarum Ecclesiasticarum pra-  
 xi sit introducra.  
 91. De degradationis actu & justitia co-  
 gnoscere nequit iudex Secularis.  
 92. Novum tamen processum formare  
 potest super crimine:  
 93. Nisi hoc Fori merè Ecclesiastici sit.  
 94. Clericum sibi traditum torquens ex-  
 communicationem non incurrit.  
 95. Degradatus ad horas canonicas &c.  
 tenetur.  
 96. Et, si iuste, à solo Papa:  
 97. Si iniuste degradatus sit, etiam ab  
 Episcopo restituitur.

76. **P**ostremò Degradatio: quâ cleri-  
 cus ob criminis atrocitatem vel  
 incorrigibilitatem Ordine, offi-  
 cîo, beneficio & statu clericali  
 solenniter & authenticè privatur; ut  
 transeat in potestatem secularem: & ab  
 ista instar laici incarcerationi, condemna-  
 ri ac puniri, secundum leges Civiles pos-  
 sit: quantumvis eum solummodo verba-  
 liter degradatum percussio incidat in ex-  
 communicationem *can. Si quis suadente,*  
*17. q. 4. Glossa in c. Degradatio 2. V. Pri-*  
*vilégio, in 6. Panormit. in c. Ad abolen-*  
*dam 9. de Hæretic. n. 11. & Barbosa in c.*  
*Degradatio cit. n. 9.*

77. Est Degradatio alia Verbalis, alia  
 Realis. Verbalis sive, ut etiã nuncupatur,  
 Sententialis est, quâ ejusmodi privatio-  
 nis sententia authentica solenniter pro-  
 mulgatur in Episcopum à Papa, *can. Ac-*  
*cusatus 5. can. Quamvis 6. Sc. 3. q. 6.* qui  
 etiam (seclusò privilegio vel consuetudi-  
 ne, id permittente propriis Prælati Re-  
 gularibus) hujusmodi sententiam ferre

sol<sup>o</sup> potest in Religiosos exemptos, ut col-  
 ligitur ex *Compend. Privileg. S. I. V. Præ-*  
*latus, §. 3. Navarrus Lib. 3. Consl. 58. n.*  
*3.* In clericos inferiores à proprio Epi-  
 scopo confirmato, etiam nondum con-  
 secrato: uti & Sede vacante, à Capitulo;  
 quia non est actus Ordinis, sed jurisdic-  
 tionis, ut colligitur ex Trident. *Sess. 13.*  
*cap. 4. de Reformat. Sede vacante, penes*  
*Capitulum residentis, c. His qua 11. c.*  
*Cum olim 14. de Major. & Obed. Suarez*  
*disp. 30. cit. f. 1. n. 18. & Palao n. 7. cit.*

Ferri autem ab Episcopo, vel ex  
 ipso, aut Capituli speciali commissione  
 à Vicario generali, aut ab alio, de Ju-  
 re præsentibus in condemnatione clerici  
 in minoribus constituti aliquibus de cle-  
 ro, qui Capitulum repræsentent, *can.*  
*Episcopus, 15. q. 7. Glossa in c. Degradatio*  
*cit. V. Præsentia: si Diaconus aut*  
*Subdiaconus, tribus: si Presbyter con-*  
*demnandus sit, assistentibus sex aliis Epi-*  
*scopis vel Abbatibus, aut Prælati usum*  
*mitræ & baculi habentibus, aliisve in Ec-*  
*clesiastica dignitate constitutis & ætate*  
*gravibus Jurisque peritis viris, can. Fe-*  
*lix 4. & can. Si autem 5. q. cit. junctò c.*  
*1. de Hæret. in 6. & Trident. cap. 4. cit. 80,*  
 quibus in tali judicio non Consultivum  
 duntaxat, sed Decisivum suffragium, si-  
 cut ante *c. Non potest 3. de Sent. & re ja-*  
*dic. ubi eos iudices fuisse, Glossa observat:*  
 sic post Concilium hoc competere, ex  
 communiore DD. sententia docent *cit.*  
*Suarez n. 20. & Barbosa de Offic. & potest.*  
*Episc. alleg. 110. n. 26. Unde*

Magni momenti & in praxi utile du-  
 bium oritur de numero suffragiorum,  
 quibus hujusmodi degradatio est decer-  
 nenda. Et in minores quidem clericos  
 eam per majora legitime decerni, satis  
 receptum apud DD. & ratio est; quia  
 generaliter, quod à majori parte fit, ab  
 omnibus factum censetur: nisi specialiter  
 numerus



numerus major, vel unanims omnium consensus Jure exigatur, c. 1. de *lit. que à majori & l. Quod major 19. ff. ad Municip. Panormit. in c. Non potest cit. n. 14. Felinus in c. cit. n. 5. & Barbola *Alleg. cit. n. 29.**

Non majorem numerum ad ejusmodi sententiam in clericum in sacris constitutum & Episcopo inferiorem ferendam requiri, cum *Glossa in c. cit.* sustinet Sylvester *V. Degradatio n. 1. & 3.* ob eandem rationem: cui accedit; quòd, cum *can. Si quis Episcopus 6. q. 4.* adversus Episcopos unanims judicantium consensus exigatur, satis infinuatur, eandem concordiam non exigi ad condemnandos clericos iis inferiores.

Sed verius ad istorum quoque condemnationem majoris partis non sufficere, sed maximum omnium suffragantium consensus requiri, cum *citt. Felino & Panormit. n. 16.* docent Maranta de *Ordin. judic. p. 4. dist. 11. à n. 71.* & Barbola *l. cit. n. 28.* quòd c. *Non potest cit.* ubi de depositione clerici à gradu Sacerdotali agitur, disertè requiratur sacerdotum sententia concors: quòd verbò, saltem cum agitur de pœna, significari videtur judicium, quò sententia non à majori duntaxat parte, sed, nemine discrepante, fertur, *arg. c. In causis 30. de Elect.* ubi *Factum concorditer* opponitur *Facto à majori parte.* Unde vim non habet argumentum, à contrario ductum ex *can. Si quis cit.* cum; quòd istò illati contrarium Jure satis sit expressum; tum verò; quòd versemur in materia pœnali, in qua ejusmodi argumento locus non est, per tradita à Barbola *Commun. Juris argument. Loco 27. n. 39.*

82. Realis sive actualis &, ut à Tridentino *citt. cap. 4.* nuncupatur Solennis Degradatio est, quâ ita latam sententiam in Ecclesia vel alio loco sacro pro-

prius, vel ex ejus cõmissione aliis Episcopus consecratus, aliis Episcopis vel Abbatibus assistentibus, exequitur, adhibita certorum rituum Ecclesiasticorum solennitate, c. *Degradatio cit.* & in Pontificali Romano præscriptâ. Primò enim degradandus sacris vestibus aliisque in Ordinum collatione adhiberi solitis, perinde ut, si celebrare vel alium sui Ordinis actum proprium exercere vellet, ornatus adducitur ad Episcopum: à quo, præsentè judice Seculari, ei singula Ordinum insignia ab eo, quod in ordinatione ultimò locò traditum est, usque ad id, quod cum prima tonsura accepit, auferuntur, & raditur caput; ut nullum appareat vestigium clericatûs. Secundò, dum hæc peraguntur, profert Episcopus verba significantia ablationem Ordinum clericalium, vg. dum auferit insignia sacerdotalia, *Auferimus tibi vestem sacerdotalem & honore sacerdotali privamus &c.* tandèmq; dicit, *Authoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritûs sancti & nostrâ tibi auferimus habitum clericalem & deponimus, degradamus, spoliamus & exuimus te omni ordine, beneficio & privilegio clericali.* Tertio, sic degradatus traditur curiæ Seculari: apud quam tamen Ecclesiasticus efficaciter, hoc est, seriò & ex animo intercedit; ut citra mortis periculum sententiam circa eum moderari velit; ne ejus necem expetere & procurare videatur, c. *Novimus 27. de V. S. Panormit. in c. Cùm non ab homine 10. de Judiciis n. 26. Laiman. cap. 5. cit. n. 5. & Barbola in c. cit. n. 3.* Unde

84. Dubium oritur primò, an hæc pro degradato intercessio necessaria sit ad evitandam irregularitatem. Eam necessariam, asserunt Covarruv. *p. 2. in Clement. Si furiosus, §. 5. n. 6. Oliva p. 2. de Forò Eccles. q. 11. n. 37. & communis DD.*  
D d d 2 senten-

sententia, teste Palao *Traet. 29. disp. 6. p. 14. §. 1. n. 1.* quod traditio illa ad personam degradatam apprehensionem & ipsam condemnationem ad mortem, in Seculari iudicio secuta, cooperatio quaedam sit: quâ, ne istius mors aut mutilatio intenta videatur, necessaria est intercessio, sicut expressa protestatio ad eam evitandam necessaria est clericis, damni, alicujus maleficii sibi illati, reparationem petentibus in iudicio Seculari, *c. Prælati 2. de Homicid. in 6.*

85. Sed verisimilius iudicem, intercessionem illam in degradati traditione omitentem, absolvunt alii: in quorum Opinionem propendet Suarez *Disp. 47. de Censur. l. 1. n. 12.* Ratio, quæ hanc mihi persuadet, est partim; quod iudex Ecclesiasticus clericum degradatum non tam tradat ad poenam sanguinis, quam eum clericali privilegio exutum & Seculari curiæ subiectum declarat, eaque declaratione factâ, secularis curiæ minister eum apprehendat: partim verò; quod, eam intercessionem ad irregularitatem evitandam necessariò interponendam, neque *c. Novimus cit.* neque ullò aliò canone sit expressum: irregularitas autem non contrahatur, præterquam in casibus Jure expressis, ut Regulae instar tradi & desumi solet ex *c. Is qui 18. pr. de Sent. excom. in 6.* Confirmatur hæc ratio imprimis decisione *c. Episcopus 3. Ne clerici vel monachi in 6.* quâ Bonifacius VIII. Prælatum causam sanguinis particularem, etiam cum expresso mandato, *Ut iustitia debitum exequatur*, delegantem ab irregularitate absolvit, nullâ factâ mentione intercessionis pro delinquente: dummodo non mandet punitio- nem per mortis aut mutilationis supplicium faciendam. Deinde; quia in dubio Juris, an scilicet actu aliquo irregularitas incurratur vel non, ea non contrahi-

centenda est, ex communi sensu DD. id colligentium ex *c. Is qui 18. pr. de Sent. excom. in 6.* juxta dicta *n. 41.* Cum ergò, an ejusmodi intercessionis omissione irregularitas contrahatur, aut secus, Juris dubium sit, à iudice Ecclesiastico, clericum degradatû, illâ non interpositâ, Seculari curiæ tradente, ex perfectæ Lenitatis defectu proveniens irregularitas non contrahetur.

Neque in contrarium facit decisio *c. Prælatus cit.* cum; quia eò relatus à *c. Novimus cit.* casu est diversus: à diversis autem illatio non fit, *l. Inter stipulantem 38. §. 5. ibi, Sed hæc dissimilia sunt. ff. de V. O. præsertim ad inducendam irregularitatem, pr. cit.* tum verò; quia is, de quo *c. Novimus cit.* agitur, similis est casui *c. Episcopus cit.* quò cum ab irregularitate absolvatur, qui causam sanguinis alicui committit, cum mandato, *Ut iustitia debitum exequatur*, ab ea immunis erit, qui Seculari curiæ reum relinquens pro eo solummodo non intercedit.

Dubium secundò est de criminibus, 86. quorum rei clerici degradandi ac tradendi sunt curiæ Seculari. Quod oritur ex *c. Cum non ab homine 10. de Jure Juris: cujus famigerato textu Clemens III. clericum homicidii, perjurii, furti & cujuscunque gravis criminis convictum imprimis deponi; ne Ordinis sui actus exercere valeat: dein excommunicari & contumaciâ crescente, anathematis, hoc est, excommunicationis cum execratione infligendæ mucrone feriri: demum, si in profundum malorum venerit & omnino incorrigibilis appareat, degradari & quòd Ecclesia, quod faciat, ultra non habeat, curiæ Seculari tradi jubet. Quæ Apostolica ordinatio occasionem dedit*

Celebri controversiæ & questioni, 87. an ergo

In ergo clericus parricidii, homicidii infidiosi, proditorii aut sacrilegi, combustionis Ecclesiae, aut alterius valde enormis aut atrocissimi criminis reus non statim & dictis poenarum gradibus non obfervatis, Seculari Curiae tradi possit? Et Anchoranus quidem in *c. cit. à n. 10. Panormit. in c. At si clericus q. de Judiciis, n. 39. Decius inc. cit. n. 251. Alciatus in c. Cum non ab homine cit. n. 22. & alii relati à Fatiniaco Prax. Criminal. q. 8. n. 81. eum, incorrigibilitate non expectatâ, tradi statim posse, docent & *c. cit.* textum de homicidio & furto simplici: non de qualificato, aut aliis criminibus valde enormibus exaudiunt.*

Moventur imprimis textibus *can. Sunt quaedam, 23. q. 5. c. 1. de Homicid. & c. Novimus 27. de V. S.* qui tamen omnes rectè ponderati pro ipsis non militant; quia primò *can. Sunt quaedam cit.* disertè asseritur, esse quaedam crimina, quæ potius per mundi iudices, quàm Antistites ac Rectores Ecclesiarum vindicentur: eoque sermo non est de Clericis, sed de laicis, Episcopum, presbyterum vel diaconum interficientibus: qui, licet poenis in foro etiam Ecclesiastico obnoxii sint, relictus tamen à Seculari potestate coercentur, ut in *c. Cum non ab homine cit.* notat Fagnanus *n. 55. & cit. Oliva q. 12. n. 4. Minus urget c. 1. cit.* quia ejus textus adeò anceps est; ut propter expositionum nimiam varietatem ad decisionem & controversarum quæstionum resolutionem in foro & scholis non valeat allegari, ut ex recepta Bartoli doctrina monui *Tit. 12. n. 93.* Non plus pro ipsis faciunt *c. Novimus cit.* verba, *Clericus, qui propter hoc, falsationis literarum Apostolicarum, vel aliud flagitium damnosum fuerit degradandus;* quia iis denotatur crimen aliud, cui degradatio Jure specialiter imposita est; cum enim dictio *Aliud* plerumque re-

petitiva similium sit, secundum Glossam in *l. Si fugitivi 3. V. Alia poena, C. de Servia fugit. c. cit.* verbis, aliud flagitium intelligitur, simile ejusmodi falsationi, ac proinde degradationi obnoxium ex Juris dispositione, *cit. Fagnanus n. 50. & Olivæ num. 4.*

Deinde ratione, quia poenæ commensurari debent delictis; ut, quæ graviora sunt, coercitione & poenâ graviore vindicentur, *can. Non asseramus, 24. q. 1. c. & s. fin. de Excess. Prælat.* quod non fieret, si in homicidio infidioso & aliis atrocissimis criminibus idem poenarum Ordo, qui in furto & homicidio simplici observaretur. Accedit; quòd pro excessivis ejusmodi delictis Ecclesia non habeat poenam condignam; ut clericos de iis confessos & convictos de gradu dejici & Seculari Curiae statim tradi, Justitiâ exigente, sit necesse. Sed rationis quoque istius exigua vis est; quia poena etiam ejusmodi delictis proportionata Ecclesiae non deest; cum, licet non inferatur mors, ærumnoso tamen & perpetui carceris, treremium & similes poenæ exasperari ita valeant; ut gravius delinquens severius pro criminis modo ac meritis coercetur, eique statim mori, quàm diu sine ulla salutis spe affligi, tolerabilis foret, *c. Felicitas 5. V. Si quis verò, in 6.*

Demum argumentò ductò à minori ad majus; si enim falsi criminis, circa literas Apostolicas commissi reus, incorrigibilitate non expectatâ, degradatus Curiae Seculari statim traditur, *c. Novimus cit.* huic quoque ita tradendi erunt clerici, qui parricidii, homicidii sacrilegi vel atrociori crimine tenentur; quia exceptio casus, exceptis similes, comprehendit, Glossa in *l. 1. V. Judicata, C. de Condit. indebit.* Sed argumento huic locus non est in poenis; quæ ad casus, expressis similes & ad majores etiam, propter identitatem

titatem & majoritatem etiam rationis non porriguntur, *arg. Reg. Factum 155. §. 2. ff. & Reg. In poena 49. in 6. Ubi Glossa, Ant. de Butrio in c. fm. de Consuet. à n. 55. Castro de Lege Penali, Lib. 1. cap. 7. docum. 3. & Suarez Lib. 6. de LL. cap. 3. num. 5.*

§8. Quare frequentiori DD: calculò receptum & Juri magis consentaneum est, ad actualem clerici cujuscunque criminis rei degradationem & traditionem illam, extra casus specialiter exceptos, non procedendum, nisi incorrigibilis sit, ut cum Hostiensis in c. 1. de Homicid. n. 2. Aretino in c. Cum non ab homine cit. à n. 51. & Beroio in c. At si clerici cit. n. 181. V. Mibi autem, tradunt Placha Epitom. delict. Lib. 1. cap. 22. n. 43. Covarruvias Lib. 2. Var. cap. 20. n. 7. Farinac. Prax. Criminal. q. 8. n. 81. Fagnanus in c. Cum non ab homine cit. n. 6. Pignatell. Tom. 7. consult. 33. à n. 25. & alii, suam hanc doctrinam desumentes ex rescripto Clementis, c. cit. generaliter statuentis, pro quibuscunque delictis clericos Seculari curiæ tum demum tradendos, cum Ecclesia amplius non habet, quod faciat ad eorum correctionem: ex c. Clerici 4. de Excess. Pralat. & c. Tua 6. hæc Rubr. quorù textuum priori de Sodomix gravissimo crimine convicti: posteriori in latrocinis aliisque magnis sceleribus deprehensi deponuntur & ad agendam poenitentiam in arctum Monasterium detruduntur: & demum ex c. Felicit 5. in 6. ubi occisor Cardinalis (etiam clericus, ut ex V. Si qua verò colligitur) in carcerem conjectus eo ultionis rigore haberi, ut contra vitæ subsidium mortis solatium invocet & poenæ vindictæque speculum sit: non degradatus Seculari curiæ tradi jubetur.

§9. Non leve robur eidem sententiæ addunt varii casus à Regula c. Cum non ab homine cit. proditâ excepti, quibus cle-

rici, non expectatâ incorrigibilitatè, statim gradu defecti Seculari curiæ traduntur: & in casibus non exceptis Regula in contrarium firmatur, *arg. l. Quasium 12. §. 43. ff. de Fundo infr. & c. Quoniam 2. de Conjug. leprosf. Glossa & Dynus in Rubric. de R. J. in 6. Tales autem casus & crimina excepta sunt, Hæresis & multò magis à Fide Apostasia, saltem cum quis in illam relapsus vel in ea contumax est, c. Ad abolendum 9. de Hæretic. & c. Super eo 4. in 6. Falsatio Litterarum Apostolicarum, c. Ad Falsarium 7. de Crimine falsi & c. Novimus cit. Conspiratio in proprium Episcopum, eive struæ infidiæ, can. Si quis sacerdotum, 11. q. 1. quod tamen crimen Glossa in c. Novimus cit. V. Tradatur, Panormit. in c. At si clerici cit. n. 37. & Sylvester V. Degradatio n. 4. dum in eo incorrigibilitatem exigunt, ad Juris communis Regulam reducant, ut notat Oliva cit. q. 12. n. 14. Assassinium, c. 1. de Homicid. in 6. ut ibi dictum n. 152. Sodomia frequentata, hoc est, non semel duntaxat, sed sæpius commissa, ex Constit. Pii V. quæ incipit Horrendum edita Cal. Septemb. 1568. Celebratio Missarum & auditio Confessionum Sacramentalium temerè præsumpta ab eo, qui sacrò Presbyteratus Ordine non est initiatus, ex Constit. Clement. VIII. quæ incipit Etsi alicui, edita, 1. Decemb. 1601. Fabricatio & adulteratio monetæ aureæ vel argentæ, ejusve adulteratæ erogatio vel expositio in Regnis, provinciis & civitatibus Italiæ, ex Constit. Urbani VIII. quæ incipit In suprema, edita Idib. Novemb. 1627. Fagnanus l. cit. à n. 68. & ex eo Pirrhing ad Rubric. de Judic. n. 115.*

In Praxi etiam clericos & Religiosos 90, valde enormium, v.g. parentis, fratris, prælati sui, vel alieujus alterius proditoriè, vel per infidias necati, sacrilegæ expilationis

tionis Ecclesie & magis criminum, præfertim iteratorum, reos, incorrigibilitate non expectatâ, degradatos & curiæ Seculari traditos aliquando fuisse, testis est Diaz, Decianus & alii apud Fagnanum n. 31. ex iis varia exempla referentem, qui tamen n. 105. salubriter consulit, ut, cum hujusmodi degradationem ac traditionem à clerico perpetrari criminis enormitas exigere videtur, ad eam, consulto summo Pontifice, procedatur.

91. Dubium tertio est, an iudex Secularis adversus clericum degradatum novum processum formare valeat, aut stare teneatur formatò à curiâ Ecclesiastica. Certum est, eum cognoscere non posse de actu Degradationis, sive de iustitia condemnationis ad degradationem & ipsius actus, quò omni privilegio clericali exutus & traditus est curiæ Seculari; cum enim ejus sententiæ prolatio jurisdictionis spiritualis, & executio Ordinis Episcopalis actus sint, de iis judicialiter cognoscere non poterit iudex Secularis, c. *Decernimus* 2. c. *Quanto* 3. de *Judiciis* c. *Si iudex* 12. ibi, Quia de re Ecclesiastica & spirituali est, de *Sent. excom.* in 6.

92. Quare dubium de crimine duntaxat procedit: & multum refert, an id Ecclesiastici aut Mixti fori sit; cum, si mixti fori, sive tale sit, de quo à laico perpetrato cognoscere etiam potest iudex Secularis, ut sunt Assassinium, Sodomia, adulteratio monetæ &c. iudex secularis Ecclesiastici processu stare non teneatur: sed clericum sibi traditum, vel secundum processum Ecclesiastici sibi exhibitum, si eum de crimine confessum de eòve legitime convictum invenerit: vel, novo institutò, de crimine cognoscere, ejusque reum ad penam legibus definitam condemnare valeat, secundum *Novell.* 123. cap. 21. §. *Si verò crimen* Panormit. in c. 1. de *Offic. Ordin.* n. 12. Felinus in c. *Ad abolendam*

9. de *Heretic.* n. 5. Clarus §. *fin.* q. 96. n. 7. Laiman *Lib. 1. tract. 5. p. 3. cap. 5. n. 6.* & Oliva p. 2. cit. q. 13. an. 13. Si verò crimen fori merè Ecclesiastici, sive tale sit, de quo etiam à laico commissò judicialiter cognoscere Secularis iudex non potest, ut sunt hæresis, apostasia, sacrilega celebratio Missæ, auditio confessionis Sacramentalis &c. Ecclesiastici iudicis processu ac sententiâ stare, eamque executioni mandare tenetur, ut in c. *Ad abolendam* cit. notant Panormit. n. 12. Felinus n. 5. Dominic. & Francus in c. *Ut inquisitionis* 18. de *Heretic.* in 6. n. 3. Diaz *Prætic. cap. 141. n. 2.* Castro de *Heretic. punit. cap. 23. cit.* Clarus q. 97. n. 7. Laiman cit. n. 6. in fine, Oliva n. 1. & Engel *ad hanc Rubric.* n. 15. id desumentes ex c. *Decernimus*, c. *Quanto*, c. *Si iudex* cit. & c. *Ut inquisitionis* cit. V. *Prohibemus*, ne ipsi iudices Seculares de hoc hæreleos (cum merè sit Ecclesiasticum) quòquomòdo cognoscant. Ratio est; quia hujusmodi crimina, cum Catholicæ fidei & Religioni immediatè adversentur, eorumque judicialis cognitio Juris quæstionem involvat, & ex sacris literis sanctionibusque Canonicis pendeat, jurisdictionem exigunt spirituales & Ecclesiasticas: cujus laici, seclusâ delegatione Apostolicâ, sunt incapaces, *cc. cit.*

Quamvis autem iudex Secularis sententiæ ab Ecclesiastico super tali crimine latæ merus executor sit, & de ejus iustitia ac valore judicialiter cognoscere, probationibus receptis, nequeat: casu tamen, quò ejus nullitas vel injustitia esset notoria, eam exequi non teneretur; cum meri executores, licet cognitionem non habeant, sententiam tamen, saltem Capitaalem, cujus nullitas aut injustitia notoria est, executioni mandare nec debeant nec possint, c. *Inter ceteras* 9. de *Sent. & re judic.* ut dictum *Lib. 1. tit. 29. n. 68.*

Dubium

94. Dubium quartò est, an clericus realiter degradatus à Seculari iudice valeat torqueri. Negat hoc, ejusque torturâ & percussione excommunicationem *can. Si quis suadente* 19. q. 4. incurri, cum nonnullis aliis VV. existimat Martha de *Jurisdic. p. 4. casu* 132. n. 1. hanc suam opinionem veram, piam & sacrosanctam vocans n. 5. Rationem ejus reddit; quòd clericus degradatus retineat Ordinis characterem: & si sacerdotiò initiatus aliquando fuit, validè consecret & SS. Christi Corpus ac Sanguinem efficiat, atque ad horas Canonicas maneat obligatus.

Sed hæc ratio levis est; quia, ut cætera, sic etiam Canonis privilegium clerico non competit vi characteris: sed ex Canone sive Jure humano, id personis Ecclesiasticis, etiam nullò ordine initiatis concedente, & valente auferre: & clerico auferri declarante ipsò actu degradationis per verba, *Exuimus te omni privilegio clericali*. Unde ejus degradati percussione & tortura excommunicationem non incurri, vera & certa sententia est *Glossæ fin. in c. Degradatio cit.* Franc. *ibid. n. 4.* Navarri *Manual. cap. 27. n. 81.* & Suarez *Disp. 30. de Censur. s. 2. n. 7.*

95. Neque obstat; quòd maneat obligatio ad horas; quia ab illa, uti etiam ab obligatione voti & matrimonii contrahendi impedimento clericis in majoribus, sicut censurati & irregulares, sic etiam depositi ac degradati non liberantur; ne in odium criminis introducta eorum exauctoratio sive degradatio redundet in eorum favorem, & ex malitia sua commodum reportent, contra Regulam *c. Intelleximus 7. de Judiciis & c. Contingit 9. de Dolo*, Sylvester *V. Degradatio, n. 10.* Covarruvias *in c. Alma. p. 1. §. 3. n. 8. cit.* Suarez *n. 2.* & Oliva *q. 11. n. 32.*

Quin *cit.* Sylvester *n. 8.* existimat, à clerico, si post verbalem depositionem incorrigibilis sit, Canonis privilegium abs-

que alia declaratione amitti: idque desumit ex *c. Cùm non ab homine cit.* Sed male; cùm contrarium planè liqueat ex ejus textu, exigente; ut depositus, si incorrigibilis appareat, excommunicationis, ac dein anathematis, sive solennis execrationis mucrone feriat: & demum, si ne sic quidem resipiscat, omni privilegio per sententiam nudatus relinquatur curia Seculari; ut agèd in eum etiam incorrigibilem ante ejusmodi sententiam violentas manus injiciens excommunicationem *can. Si quis suadente, 17. q. 4.* incurrat.

Dubium quintò est de clericis realiter degradati restitutione: in quo multum refert, an degradatus sit justè vel injustè; cùm degradatus justè vel in pristinum gradum restitui hodie vix unquam soleat: & valeat à solo Papa; quia degradatio ex sua institutione & quasi natura perpetua & Jure Ordinario irremissibilis est, *can. & can. Qui semel 2. dist. 50.* Suarez *Disp. 30. s. 2. n. 10.* Bonacina *disp. 4. p. Unic. n. 1.* & Barbosa *de Offic. Episc. alleg. 110. n. 32.* Injustè autem degradati restitutio etiam ab Episcopo fieri queat ac debeat, si sententiam in eum non auditum, vel non confessum, vel non legitime convictum, vel ex testium depositionibus aut instrumentis falsis latam, probetur, secundum decretum Concil. Tolet. IV. *can. Episcopus, 11. q. 1.* relatum; assistentibus tamen, si fieri queat, aliis Episcopis, Prælati, & viris in dignitate constitutis: qui suffragiis suis ad degradationis sententiam sunt cooperati, ut non obscure insinuatur *can. cit.* & adhibitâ solennitate ibidem præscriptâ, scilicet traditione rerum seu instrumentorum ac vestium, quæ in clericorum ordinatione adhiberi solent, ut ad pristinum gradum eâ, quâ dejectus est, viâ revertatur, *Panormit. in c. At si clerici 4. §. De adulteris n. 14.* Suarez *cit. n. 10.* & Bonacina *n. 20.*